RITUALE SACRAMENTORUM

AD USUM

MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ

OLIM

A S. CAROLO INSTITUTUM,

ET NUNC POSTREMO

Eminentiſs., & Reverendiſs. D. D.

BENEDICTI

S. R. E.


TIT. SS. DUODECIM APOSTOLORUM

PRESBYT. CARDINALIS

ODESCALCHI

ARCHIEPISCOPI

Juſſu recognitum, auctum, & editum.





MEDIOLANI, MDCCXXXVI.

Apud Beniamin de Sirturis hæredem Pacifici Pontii, & Piccaleæ, Impreſſorem Archiepiſcopalem. Cum Privileg.

CAROLUS
S. R. E. PRESB. CARD.
TIT. S. PRAXEDIS
ARCHIEPISCOPUS

Universo Clero Urbis, Diœcesisque suæ Mediolanensis salutem in Christo Jesu.




Obis in Archiepiscopali hac vigilia versantibus ea, præter cæteras, una proposita est sollicitudo, ut quam Ecclesiæ hujus hæreditatem sacram, jam olim Ambrosius Sanctissimus à beatæ memoriæ Archiepiscopis, Mirocléte, Eustorgio, & Dionysio acceptam, se conservatûrum esse dixerat, eam deinceps ab ipso Ambrosio patre auctam, & perpetuo Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris consênsu retentam, & religiosâ consuetudine, usuque prædecessôrum nostrorum constantissimè conservatam, nos pariter, Deo bene juvante, integram non modò servêmus, verùm etiam, si quam ejus partem, vel negligenter amissam, vel certè aliquo modo parum cultam animadvertimus, diligentissimè itidem & restituamus, & excolamus. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui consolatus est nos in laboribus, vigiliisque hujus ipsius nostræ sollicitudinis. Superioribus annis Bre-

viarium, quod opus fuit diuturni temporis, magnæque diligentiæ, ita restituendum curavimus, ut antiqua hujus nostræ Ecclesiæ monumenta, veteresque concelebrandis divinis laudibus Ambrosianos ritus jam planè integros liceat agnoscere. Nunc sanè sunt item reliqua, in quibus jamdiu fixæ cum sint non solùm cogitationes, sed labores nostri, denique apparére, & extare debent. Atque in iis quidem (præter Missale, in cujus quoque edendi curam incumbimus) præcipuum etiam opus est, quod Sacramentale ex vetustissimo usu vocamus. Id porro, si seriùs, quàm decreto Synodali jam pridem promiseramus, in lucem prodiit, vos ipsi probè nostis factum esse multitudine, magnitudineque occupationum Archiepiscopalium; quibus pro temporum varietate nos non solùm in singulos dies, sed in singula ferè momenta assiduè distenti, necesse sæpissimè habuimus cursum interrumpere industriæ, & curæ, quam in eo conficiendo diligentissimam ponere jampridem statueramus. Verùm, si rectâ reputamus viâ, profectò ab hujus nobis commissæ Ecclesiæ rationibus haud quaquam aliénum fuit, rem, quæ tempus, & diligentiam postulabat, diutiùs differri; ut pluribus, quàm ab initio potueramus, iisdemque necessariis partibus eam absolutam redderemus. Copiam certè habuimus exemplarium, quæ & manu scripta, & impressa, eaque antiqua admodum, ex multis tam Basilicæ nostræ Metropolitanæ, quàm aliarum Ecclesiarum Urbis, Diœcesisque universæ tabulariis conquisíta, ac suppeditata, adhibéri ab iis Ecclesiastici ordinis viris voluimus, quos & pietatis studio flagrantes, & doctrinæ laude claros, & rituum sacrorum usu litteratè peritos ad opus delegimus. Ex Sancti Ambrosii item fontibus multa hausimus, quem Ecclesia hæc patrem, magistrumque habet omnium virtutum gloriâ florentem;

tem;

tem; quique cum de iis, qui initiantur mysteriis, tum de Sacramentis libros præcipuè scripsit. Neque solùm his domesticis adjumentis contenti fuimus, sed aliunde subsidia comparavimus, ab iis præsertim religiosis scriptoribus, qui rituum nostrorum & diligentissimi interpretes, & testes locupletissimi extiterunt. Cum iis igitur monumentis recognosci ab initio potuit, ut certè recognitum est, opus Sacramentale, quod modò emittimus. Sed quoniam ad ejus perfectionem etiam non parum interesse censuimus expectare, ut Provincialia Concilia aliquot haberemus, in quibus singulis, sapientissimorum Episcoporum consilio, & pietate, nos ea de re non doctrinâ solùm, sed usu probatum aliquid semper statueremus: rem usque adeò protulimus, ut, Synodis Provincialibus, Dei munere, sex jam demum celebratis, necessarium opus plurimis decretis adjuverimus. Accédit etiam hoc, quòd cum editionis libri Sacramentalis diem de die usque adeò duxerimus, ut omnis Diœcesis nostræ visitationem ante absolverimus: ex hac ipsa Archiepiscopali speculatione, in qua usu multa comperimus ad Sacramentorum administrationem, cultumque opportuna, quæ minùs præstabantur, adjumenta item rei conficiendæ nonparva ipsi subministravimus, quæ quidem adjumenta, in iis, quæ instructionum, seu rubricarum nomine cuique Sacramento copiosè adjici jussimus, in primis apparébunt. Quamobrem si diutius libri editio jam prorogata est: diuturnitas tamen utilitates permultas peperit, quas ex assiduo illius usu vos ipsi cognoscetis. Sacramentale igitur edimus, multis partibus excultum, atque absolutum, ut mox supra demonstravimus. Vestrum est omnium, & singulorum, qui Sacerdotes estis, quique in Urbe, & Diœcesi nostra Mediolanensi, Sacramenta ritu, moreque Ambrosiano ministratis, ita

vos hujus Sacramentalis regulis instituere, in omnesque partes conformare, ut cum ad illius præscriptum ea purè, sanctè, & religiosè tractetis, tum cæremoniis, & ritibus hoc ipso traditis utamini, neque ullis præterea aliis. Atque ob eam sanè causam jubemus vos universos, singulosque, quorum interest, duobus post editionem mensibus, hoc ipsum habere, legere, atque in usum introducere, ut charitatis vestræ, quâ in procuranda animarum salute eximiè præcellere debetis, studium in Domino commendemus.



BENE-

BENEDICTUS

TIT. SS. DUODECIM APOSTOLORUM

S. R. E. PRESBYTER

CARDINALIS

ODESCALCHUS

ARCHIEPISCOPUS

Universo Clero Mediolanensi salutem in Domino.



Ecôrem domus Domini uti diligêbat unicè David Rex, non manufactæ quidem domus, quam ille magnis undique collectis opibus Salomôni filio magnificentissimè ædificandam relîquit, non manufactæ, inquam, sed vivæ

domus decórem nobis mandavit Dominus, Templumque auguſtiùs cuſtodîre, atque exornare nos juſſit, Templum ſanctum, Templum Dei, quod eſtis vos, ut ajêbat Apoſtolus. Hujuſce domus Dei, Eccleſiæ nempe nobis commiſſæ decórem pro muneris noſtri ratiône conſecutûros nos eſſe ſperamus, cum ea, quæ ad verum, ac myſticum Chriſti Corpus ſpectant, cum denique res ſacræ omnes ſanctè, ac rite adminiſtrabuntur. Apud Hebræos ſanè quidquid in expiationibus, oblationibus, ac ſacrificiis ſervandum foret, quibus officiis, quibuſve cæremoniis potiſſimùm ea celebrarentur lege ſancîtum erat: quin etiam Deus ore ipſe ſuo ſingula prorſus dictavit, atque præcêpit. Quòd ſi tam ſanctam, accuratamque rituum diſciplînam rudia illa, ac informia poſcêbant tempora, quantò magis novæ legis lux, ac ſanctitas ſuos mores, ſua inſtitûta habeat oportet, quibus gratiæ dona Chriſti ſanguine nobis comparata religiosè fidelibus diſtribuantur. Quamvis verò omnis gloria filiæ Regis ab intus; Eccleſia ſcilicet ex ſe dives abundè ſit, nec

aliênâ

aliênâ indigeat ope, ut dignitatem, potentiamque adipiſcatur, externi tamen cultus multiplex genus, conſtans, gravis, concinna ſanctarum actiônum, precumque majeſtas illam exornant maximè, ac ſpectantium oculis pulchriôrem, ac magnificentiôrem in ſpeciem repræſentant; & illa tanquam Regîna adſtat in veſtîtu deaurato circumamicta varietate. Noſtram autem Mediolanenſem Eccleſiam, cum ei præeſſet Mirocles hac in re illuſtraſſe dicitur, qui certam ſacrarum precum regulam ab apoſtolicæ inſtitutionis uſu derivatam præſcripſit. Id etiam ejus Succeſſores, Prædeceſſoreſque noſtri præſtitêrunt, atque in primis poſt Sanctiſſimum Patrem Ambroſium, hujus Diœceſeos alter Pater Carolus Borromæus, qui rituales libros diuturni temporis labôre, ac ſtudio, ſummâque diligentiâ collectos in lucem edi tandem juſſit, & ab omnibus veluti majôrum amplissimam hæreditatem ſervari. Sapientiſſimè quidem; in obeundis enim eccleſiaſticis muneribus æquabilis conſenſio, ac conformitas iis auctoritatem, venerationemque mirificè conciliat, fidelium mentes

tes

tes ad cæleſtium rerum contemplatiònem excitat, errandi locum minimè relinquit, nec ſinit irrita apud Deum eſſe vota, quæ vel ex ejus inſtitùto, vel Eccleſiæ Sponſæ ſuæ præſcripto Deo ipſi offeruntur. Jam verò, cum impreſſa olim hujuſmodi librorum pauca admodum ſuperſint exemplaria, adhibito piorum, ac eruditorum virorum conſilio, iterum recognoſci, atque augêri, & typis mandari judicavimus, ut antîquus rerum ſacrarum uſus perennis, & illæſus vigeat, ac nitor ille, & decor domus Dei magis in dies, ac magis renovêtur, & refloreſcat. Quod igitur reliquum eſt, ut ſcilicet iſtiuſmodi ritus, ac formulas penitus quivis obſervet, & ne latum quidem unguem ab iis diſcêdat, id omnibus, ac præſertim Parochis commendatum volumus. Meminerint hi, quàm ſanctè ſancta ſint pertractanda, & quamvis ex ipſorum ſanctitate Sacramentorum vis, & efficacia minimè pendeat, culpandus tamen quiſquis ille eſt, qui eâ, quâ decet reverentiâ, diligentiâ, cunctiſque inſtitutionibus ſervatis, Sacramenta non conferat. Præterea Sacerdòtum

preces

preces perſæpe non ſuæ, ſed populi preces ſunt, cujus nomine divînam illi opem implorant: at quî obtineant quod petunt, ſi perperam petant? & qui præeſſe exemplo ceteris debent, irreligiosè cum Deo ſe gerant? Secum ipſi reputent formidandum illud, maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter; ac facit quidem negligenter, qui deſignatas contemnit regulas, qui opus Dei raptim, inconditè exequitur, qui populum precatiônum fructu defraudat, qui pietatis ſpecimen aut nullum, aut ſimulatè præfert, nec quam gerit perſônam apud homines, ac apud Deum ipſum plenè ſuſtinêre conatur. Cetera verò, quæ ad implorandam divînæ clementiæ largitatem, ut omnibus vitæ noſtræ commodis conſulat, eâ, quâ par eſt, gravitate pertractari debent, tum ut populorum pietas excitêtur erga ea, quæ ſacris benedictionibus initiantur, tum ut profuſiùs divîna benignitas pluat ſuper eos miſericordiam ſuam. Cum autem ſpe abundêmus fore, ut quiſque ſacro miniſterio addictus officium ſuum ſtrenuè, ſanctèque adimpleat, divîni auxilii opem

vobis à Deo Opt. Max. imploramus, & pro intima, quâ vos in Deo complectimur charitate, ſacram benedictionem impertîmur.

Dat. Mediol. ex Palatio noſtro Archiepiſcopali ſexto Idus Octobris MDCCXXXVI.



INDEX

INDEX TITULORUM;

Qui in hoc libro continentur.

De

De

Alia

RU-

RUBRICÆ GENERALES

De Sacramentorum administratione.

IN Sanctissimis Sacramentis & ministrandis, & percipiendis religiosa, diligensque cura requiritur. Quæ sanè res cum ex ipsis mysteriis intelligi possit, tum etiam perspicitur ex precibus, & sacris cæremoniis, quæ à divinis, apostolicisque traditionibus derivatæ, ac perpetuo Sanctæ Ecclesiæ usu corroboratæ, ad hæc usque tempora piè retinentur; sacramenta enim à Christo Domino Salvatore nostro instituta, & ad communem omnium salûtem proposita, cum cœlestia munera sint, atque instrumenta divinæ gratiæ, solemnibus cæremoniis tractantur, & ministrantur, ut eorum tum administratio sancta sit, tum perceptio plena religionis. Quare primo loco hæc generâtim traduntur, ut, tam qui sacramenta ministrat, quàm qui sumit, ad pietatis suæ partes breviter instruatur.

Primò igitur Parochus, omnisque Sacerdos, cujus est sacramenta administrare, meminisse debet, sancta se tractare, omnique ferè temporis momento paratum esse oportêre ad tam sanctæ administrationis munus. Quamobrem is, cum alios per sacramenta purget, atque illuminet, hoc maximè studêbit, ut ipse vitam purè, castè, ac religiosè agat, mentemque item, & animum ab omni peccati labe purum, adjutrîce Dei gratiâ, conservet diligenter. Nam etsi sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis inest, nunquam amittunt; tamen impurè ea ministrantibus, æternam mortem afferunt.

Itaque primùm sollicitè, & intimè recogitare debet, an alicujus peccati mortalis, quod sanctissimâ cautione sacerdos evitare debet, sibi conscius sit. Quòd si reum se esse

novit, priùs sacramentali confessione se expiare studêbit: contritionem certè habere, quàm diligentissimè curet.

Quacunque diei, aut noctis horâ, ad sacramenta ministranda vocabitur; cum præcipuum ejus munus, cujus causâ à reliquo populo separatur, ab Ecclesiâque sustentatur; præter cætera, eorum administratio sit, nullam tam sanctis pietatis officiis moram interpônet. Immo populum sæpenumerò, prout occasio tulerit, accuratè præmonebit, ut, cum opus est parochiali ministratione, atque officio, se quamprimùm, & liberè accersat, nullâ habitâ, nec temporis, neque loci longè distantis, neque alterius cujuscunque incommodi ratione. Cum autem accersêtur, tantùm abest, ut verbis, vel vultu, vel alio signo ostendat se gravatè itûrum, ut illìus, cui ministrare debet, salûtis desiderio se accensum patrem præbens verborum benignitate, vultûque hilari charitatem paternam significante, & libentissimè, &, ut potest, celerrimè accedat.

Antea verò, quàm accedat, paululum saltem in sacræ actionis, quam suscepturus est, meditatione attentè versabitur. Atque, ut & ipse sanctè ministret, & cui ministrabit, piè, salutariterque percipiat, nisi cum necessitas eum festinare cogit, genibus flexis ad Altare paululum orâbit, & hanc orationem adhibere poterit, ubi propria adscripta non est.

Psall. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: & tui amoris in eis ignem accende.

℣. Gloria Patri, & Filio, &c. ℟. Sicut erat &c.

Iterum: Veni Sancte Spiritus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis officii, propitius esto mihi peccatori, ut condignè possim divina clementiæ tuæ sacramenta fidelibus ad ea confugientibus ministrare.

Per

Per Dñm nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum, & cum Spiritu Sancto, vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et prætereane titubanter quidquam in ministratione agat, quamvis ordinem ministrandi, cæremoniasque ritè teneat, anteà tamen, quàm ministret, attentè ex libro religiosâ animi intentione, quæ agenda sunt, recognoscet.

Si incommodâ valetudine laborat, quâ tamen à sacramenti ministratione non impediatur, alium Sacerdotem ab Archiepiscopo probatum, sibi comitem adjunget: quo adjutore utetur, si quando præ ægritudine, vel in viâ, vel in ministratione deficeret.

Accerset item Parochiæ suæ Clericos, quos decenti habitu, & superpelliceo in primis rectè indûtos, tot, ut poterit, adhibebit, quot sacramenti ratio deposcet.

Præmonebit eos, brevi cohortatione quandôque quàm modestè, & quantâ devotione eam functionem prosequi debeant.

Hoc etiam præcavebit, ut vestes sacræ, supellex, & vasa, quæ ad ministrationis usum adhibentur, ab omni sorde pura sint, atque adeò quodam ecclesiasticæ munditiæ nitôre colluceant.

In omni sacramentorum administratione semper superpelliceum decens, & stolam adhibebit, quæ stola colore erit, quem sacramenti ministrandi ratio ritè postulat.

De libro hoc preces, & sacramentorum formulas, cæteraque pro ratione eorum, quæ ministrabit, rectè leget; nec verò memoriæ, quæ plerumque labitur, confidat.

Sacramenti, quod ministrabit, vim, rationem, usum, salutaresque fructus, prout temporis, ac personæ ratio, & præsentium multitudo tulerit, diligenter explicabit, præsertim Catechismi Romani doctrinis, quas partim etiam sumere poterit ex libris Sancti Patris nostri Ambrosii de sacramentis, & de iis, qui initiantur mysteriis.

Cum verò cæremoniæ, quæ ad ſacramenta adhibentur, mentes illorum, qui eas intuentur, accuratèque obſervant, ad ſublimium rerum cogitationem erigant, fidemque, & charitatem in iis ipſis excitent; earum etiam vim, ſanctioreſque ſignificationes, ut diligentiſſimè poterit, idem populo expônet, cum uſu venerit.

Ritibus autem, & cæremoniis utetur hoc libro præſcriptis, quibus nihil, ne alicujus quidem privatæ devotionis nomine, addet, nec detrahet; neque verò aliquid mutabit: niſi aliter aliquando faciendum rubrica ſuo loco oſtendat. Ut autem hujuſmodi ritus, ac cæremoniæ, quâ par eſt diligentiâ, ac religione cuſtodiantur, & ubique fideliter ſerventur, illud ante omnia ſcire, & obſervare convenit, quod ſacroſancta Tridentina Synodus ſeſſione ſeptimâ, Canone decimotertio de iis ritibus decrêvit in hęc verba: SI QUIS DIXERIT RECEPTOS, ET APPROBATOS ECCLESIÆ CATHOLICÆ RITUS IN SOLEMNI SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE ADHIBERI CONSUETOS, AUT CONTEMNI, AUT SINE PECCATO A' MINISTRIS PRO LIBITO OMITTI, AUT IN NOVOS ALIOS PER QUEMCUNQUE ECCLESIARUM PASTOREM MUTARI POSSE; ANATHEMA SIT.

Dum verò ad miniſtrandum proficiſcitur, animi meditatione attentus erit ad rem, quam ſanctè actûrus eſt: piè pſalmos, & orationes ſtatas in hoc libro præſcriptas recitabit. Nihil quidquam cum alio colloquêtur, niſi neceſſitatis causâ, & quàm breviſſimè: neque ſalutationibus in viâ vacabit.

Graviter prætereà, maturèque incêdet, non properanter, niſi inſtante neceſſitate, callopodiis autem, ſeu zoccolis, nunquam utetur Sanctiſſimis Sacramentis ferendis.

Sacramentum prætereà aliquod cum miniſtrat, ut id magnâ cum religione præſtet, ſingula verba, quæ ad illius formam, rationemque pertinent, omni animi attentione, & pietate diſtin-

distinctè pronunciabit, & clarâ item voce, ut ab illis audîri possit, quibus ministratur.

Sacras item precationes sanctè, graviterque dicet. Solemnes præterea alios ritus, cæremoniasque ita decenter observabit, ut veluti ante oculos ponere videatur eximia illa dona, quæ in eo sacramento continentur.

Ita verò demum in omni sacramenti administratione se geret, ut non actione solùm totâ; sed vultu etiam illos, qui adsunt, incitet ad pietatem, ac devotionem.

Illudque norit præterea officii sui esse, & hac sanctâ administrandi ratione, & præterea assiduis orationibus, & doctrinâ, & omni sacerdotali industriâ, fideles sibi commissos tales efficere, quibus dignè, utiliterque sacramenta ministrari possint.

Lumina adhibebit in ministratione, prout sacramenti ratio deposcit, id, quod cum mysterii significatione, & reverentiæ, cultusque officio fit.

Sacramenti ministrationem cum aggreditur, id intendat, idque sibi agere propônat, quod Christus Dominus instituit, & Sancta Mater Ecclesia intendit, atque agit. In ipsâ verò ministratione, animo, menteque defixus erit in cogitatione sacramenti, quod ministrat, idque quantum fieri potest, studiosè curabit.

Illud porrò cavebit, ut ne in administratione, ejusve causâ, aut occasione aliquid exigat, petatve aliquo modo. Sed quæ gratis accepit, gratis ministret; sine aliquâ, vel minimâ cujuscunque simoniæ, atque avaritiæ suspicione.

Ut autem sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus, ab iis tribuatur, qui ea suscipiunt: non patietur quemquam ad illa suscipienda accedere, nisi exteriori quoque habitu, vestiumque modestiâ, debitam illis venerationem præseferat.

Vidêbit igitur, ut viri, armis depositis, utque mulieres

rectè, velàto capite, accêdant; ut omnes vestîtu, & toto corporis habitu modesto, humilitatem christianam præseferant.

Curabit etiam pro loco, & tempore, & personarum ordine, ut idem faciant quicunque, dum sacramentum ministratur, aliquod officium præstant, utpote patrini, & paranymphi.

Monêbit id quoque reliquos omnes, qui adsunt, ut, remoto inâni colloquio, actûque indecenti, piè, ac devotè, ut debent, intersint capite aperto, mente etiam ipsi reputantes cœlestia illa dona, quæ sacramentorum virtute fidelibus impartiuntur.

Judæos autem, Infidêles, Hæreticos, & Excommunicatos non patiêtur in sacramentorum administratione præsentes adesse: nec verò catechumenos.

Cætera denique omnia ritè, & ordine servabit, prout unicuique sacramenti administrationi accommodata, suis quæque locis singillâtim demonstrata sunt.

Cum verò sacramenta quinque tantùm, nempè Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Extrêmam Unctionem Parochus ex officio administrare possit, eorum cæremoniæ, quas rectè servet, locis propriis præscriptæ sunt. Reliquis autem sacramentis duobus, Confirmationi, & Ordini, quorum administratio solius Episcopi est, non cæremoniæ administrandi in hoc libro adscribuntur; sed adjungi operæ pretium fuit brevem quandam instructionem rerum, quas, cum ea Episcopus solemniter ministrâbit, debet ipse Parochus, pro curæ Parochialis munere agere, atque exequi.

RUBRICÆ, SEU INSTRUCTIONES,

De Baptismi administratione.

Baptismus inter sacramenta, sicut primum locum obtinet, ita maximè etiam necessarius est: cum sine eo nemini pateat aditus ad cœleste regnum: Nisi enim quis renâtus fuerit

rit

rit ex aquâ,& Spiritu Sancto,non potest introire in regnum Dei, inquit Christus Dominus. Quare Sacerdos, cujus est hoc sacramentum ministrare, cum ea omnia, quæcunque ad illud conficiendum attinent, rectè scire, accuratè animadvertere, ritèque servare debet: tum pleraque etiam, prout usu venerit, populum accuratè præmonêbit, ac docêbit. Quæ omnia ut ordine, facilèque præstet, hoc loco breviter traduntur, atque exponuntur.

Quæ Parochus in Baptismi ministratione, quod ad ejus materiam, & formam attinet, animadvertat, & populum etiam doceat.

IN Baptismo, sicut in cæteris sacramentis, cum præter ejus, qui ministrat intentionem, de quâ mox supra dictum est, materia, forma, & minister requirantur, de iis Parochus, ut infra, observabit, ac fidêles quoque instruet, ac monêbit, prout opportunum viderit.

Quod igitur ad hujus sacramenti materiam pertinet, id animadvertet, ut aqua, quæ materia sacramenti Baptismi est, sit vera, ac naturalis, aqua verò solemnis Baptismi sit etiam eo ipso Anno, quemadmodum sanctè cautum est, benedicta in Sabbato Sancto Paschæ Resurrectionis Domini, aut Sabbato Pentecostes.

His igitur duobus Sabbatis, quibus ex veteri institûto fontis baptismalis benedictionem agi, celebrarîque solemne est, ipse cum Clericis Parochiæ suæ quotannis, si in urbe est, ad Basilicam Metropolitanam, si in Diœcesi, ad Ecclesiam plebanam tempestivè conveniet: vasculum proprium, atque usui huic tantummodò addictum, idemque nitidum afferet, quo aquam baptismalem inde in Ecclesiam suam reportet.

Eò cum venerit, superpelliceo, & stolâ albâ indûtus, cum Clero Ecclesiæ, ubi fontis celebritas agitur, processionem ordine ad fontem obîbit, & ministerium etiam suum, ubi opus erit, in benedictione præstabit.

Peractâ solemni benedictione, vasculum, quod portavit, offeret, ut aquâ benedictâ impleatur: implêti os diligenter occlûdet: tum illud velo albi colôris conteget, in Parochialemque Ecclesiam debitâ veneratione deferet, Clericis duobus proximè præeuntibus, qui lumina portent.

Ad Ecclesiam suam ubi venerit, vasculum cum luminibus in fonte baptisterii collocâbit: inde in sacristiam rectà veniet, ubi mox sacris Missæ vestibus se induit, sicque indûtus cum clero, & populo ad fontem procêdit, ubi canit antiphonam. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Mox vasculum aquæ baptismalis capit, effunditque in fontem, ac mox, adjuvante Diacono, aliove ministro, aliam præterea aquam, quanta satis sit ad eum implendum, quem statim rectè claudet.

Tum quo ordine venit, ad altare procêdit, & Missam celebrat, nec verò ante Missam celebrabit his Sabbatis, nisi absolutâ fontis actione. Sed si ob viæ longitudinem, aliamve causam ad suam Ecclesiam in tempore redîre non possit, ut post hujusmodi actionem liceat Missam celebrare; illam ante celebrare poterit; reliqua verò, ut dictum est, peragere.

A quam baptismalem, quoniam puram illam quidem, mundam, nitidamque esse, ob tanti sacramenti dignitatem convenit, in ipso fonte per totum annum, quoad ejus fieri potest, tum decôrè, tum purè conservabit. Quam ob causam cum fontem pro sacramenti majestate ex præscripto decenter extructum, ornatumque habêbit: tum etiam totum ipsius fontis opus undique ita contectum tenêbit, ut nec pulvis, neque ullæ aliæ sordes intrò penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impûra fieri possit.

Quòd si intrà annum, præ temporis diuturnitate, aliâve causâ illam corrumpi contigerit, in sacrarium prope fontem Parochus projiciet: statimque, & fontem purgabit; & verò, si in urbe est, ad Metropolitanam; si in Diœcesi, ad pleba-

plebanam Ecclesiam veniet, undè proprio vasculo nitido aquam baptismalem accipiat, in parochialemque Ecclesiam secretò ferat: ubi quamprimùm in fontem effundet, baptismalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ nitidæ, & & recentis addet, quantum satis erit.

Hoc ipsum quoque præstabit, si etiam aqua baptismalis per annum aliquo modo defecerit.

Si verò in Ecclesiâ, vel Metropolitanâ, vel plebanâ, ubi fontis benedictionem fieri solemne est, aquam baptismalem corrumpi, aut deficere contigerit, tunc Archipresbyter, aut Præpositus rochêto, cappâ, & stolâ violaceâ indûtus, fonte primùm diligenter purgato, & aquæ puræ, mundæ, recentisque pleno, oleoque sacro, quod aquæ immiscêri debet, parato, benedictionem, omissis cæteris cæremoniis, peraget, ut infra suo loco inter Benedictiones, adhibitis saltem duobus Clericis.

At verò ne temeraria manus abutâtur aquâ baptismali ad superstitionem, & perniciem; Sacerdos fontem, ex præscripto bene communîtum, serâ etiam, clauique claudet, quam ne Clerico quidem committens, apud se custodiet perpetuò.

Et quoniam interdum accidit, ut in summâ hyeme aqua baptismalis vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat, tunc, ut aliquo calore liquefacta, aut calefacta usui ad baptizandum infantem esse possit; cum animadverti debeat, ne illa gelida nimis ei noceat; aliam aquam vase mundo calefactam immiscêri licet, quæ aqua calefacta longè paucior erit, quam illa, quæ benedicta est. Quâ in re etiam cavêbit Sacerdos, ne quid aliud commisceat, quàm aquam puram, ac naturalem, quamvis calidam.

Verùm cum hujus sacramenti ea sit necessitas, ut etiam à laicis, instante mortis periculo, illud administrari liceat: ne hoc quidem, cum occasio tulerit, præstare prætermittet, ut populum hujus sacramenti materiam doceat esse omne

natura-

naturalis aquæ genus, ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive palûdis, ſive putei, ſive fontis, quæ ſine ullâ adjunctione aqua dici ſolet. Aliis autem liquoribus, aut aquis, quæ è floribus, herbis, aliiſve id generis exprimuntur, eliciunturve, Baptiſmum confici non poſſe oſtendet: aquam præterea puram, mundamque eſſe, pro ſacramenti dignitate, convenire: niſi neceſſitate urgente, in quâ uti licet etiam aquâ lutulentâ.

Sequitur forma Baptiſmi, quæ eſt:
EGO TE BAPTIZO, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Quæ, dum infans ter mergitur, continuatâ pronunciatione, & ſingulorum verborum diſtinctione, rectè, integrèque profertur, nihil addendo, omittendo, aut mutando.

Et verò quod ad formam ipſam pertinet, ipſe Parochus non ſolùm populo generâtim, ob baptizandi neceſſitatem, ſed etiam privâtim, præcipuèque obſtetricibus, in Eccleſiâ tamen, eam planè oſtendet, ac tradet. Quam etiam formam an illæ rectè teneant, aliquando eodem loco accuratè vidêbit, ac diligenter quæret. Proindèque illarum, quæ intra Parochiæ ſuæ fines habitant, nomina certo libro deſcripta habebit, ut illas interdum inſtruat, non ſolùm Baptiſmi quæ materia ſit, ut mox dictum eſt, ſed quæ etiam forma, & quæ intentio baptizantis.

Ab hac autem ipsâ Baptiſmi formâ, ne minimùm quidem unquam diſcêdat, ut præſcriptum eſt, niſi cum formâ ſub conditione utendum ſit, quæ eſt cum adjunctione verborum, quæ infra ſuo loco ponitur.

Quâ formâ utitur, cum infans, aliuſve, qui Baptiſmo offertur, re diligenter perquisîtâ, dubium relinquitur, aut certè non appâret, eum baptizatum eſſe, ut de expoſitis, inventiſque parvulis dubitari, atque ignorari ſæpenumerò ſolet. Atque hic meminerit Parochus in Concilio Provinciali tertio, & in Synodis Diœceſanis tertiâ, & vigeſimâ quar-

tâ

tà sancitum esse, ut Infans expositus licèt appensum collo testimonium habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter perquisità, quemadmodum Catechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit illum baptizatum esse, denuo, sub conditione tamen, baptizetur.

Quòd si, re accuratè investigatâ, exploratum habuerit, illum, formâ servatâ baptizatum esse, caveat omnino, ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium committat, si contra fecerit, & illud impedimentum contrahat, quod sacri canones irregularitatem vocant.

Si verò fœtus ex utero matris, quæ in partu periculosè labôrat, vel manu, vel pede, vel aliâ aliquâ parte extans, ob necessitatem in ea ipsa parte ab obstetrice baptizatus est; cum superstes erit, sub eâdem conditione baptizetur, adhibitis cæteris Baptismi cæremoniis. Quòd si ita ab obstetrice, ut supra, baptizatus, mortuus deinde prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri: Si autem fœtus fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet. Si verò in capite, quod primum ex utero prodiit, baptizatus est, formâ rectè servatâ; quando supervixerit, ad Ecclesiam deferatur, cui tantùm reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad solemnitatem Baptismi attinent.

Si quando præterea monstrum humanum Baptismo offertur, videndum est antequam baptizetur, an una persona sit, an verò duæ: tum masculus ne sit, an fœmina. Sique, re perspectâ, dubium est, an sint duo, utpote quia duo capita non habet, nec pectora bene distincta; unus intentione certâ, neque vagâ simpliciter baptizetur: alter verò, seu alii sub conditione: si non es baptizatus &c. Si verò, quia duo capita, pectora duo, aut corpora etiam distincta in monstro appârent, homines duos esse perspicuum est, singuli simpliciter baptizentur. Quòd si mortis periculum in morâ erit, numero plurali baptizentur: EGO VOS BAPTIZO IN

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Sin autem una persona est, utpote unum tantùm caput habens, tanquam unus baptizetur, etiam si alia membra plura, geminatave habeat.

At verò monstrum, quod hominis speciem non præsefert, non baptizetur, nisi primùm Archiepiscopus consulatur: de cujus etiam consilio agetur, quod supra de monstro humano dictum est, si tempus dabitur.

De ministro Baptismi.

MUnus conficiendi hoc sacramentum, quamvis sacerdoti commissum sit, tamen, cogente necessitate, quilibet, sive Clericus, sive Laicus etiam excommunicatus, sive Fidelis, sive Infidelis, sive Catholicus, sive Hæreticus, sive Vir, sive Fœmina, sine solemnibus tamen cæremoniis, baptizare potest, servatâ formâ, ac intentione Ecclesiæ. Illud verò cavendum est, quod etiam Parochus, prout occasio tulerit, accuratè monebit, ut ne fœmina, viro præsente; neque laicus, clerico præsente; neque rursus clericus præsente Subdiacono; hicque itidem coram Diacono; nemoque præterea eorum coram Sacerdote baptizare audeat: ipse autem norit sibi licêre baptizare, etiam præsente suo Episcopo.

Et quoniam, si vel à muliere, vel à laico secùs fit, grave peccatum admittitur, id etiam monebit.

Obstetricibus autem, quæ baptizare consuevêrunt, formamque Baptismi tenent, baptizare quidem, necessitate urgente, permittitur, etiam præsente laico, qui hujus sacramenti conficiendi planè ignarus, rudisque sit; easdemque potius, quàm viros decet baptizare infantem non omninò editum pudôris gratiâ.

Verùm gravissimè Parochus monêbit, quàm graviter illæ peccent, si quando, mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent.

Quamobrem illud etiam interdum opportunè nunciabit,

bit, ut, cum mulier prope paritûra ægrè se habet, deejusque partu timetur, studeat in primis Parochum in tempore accersere: aut, si cum habêre non potest, aliquem ex Ecclesiasticis ministris, aut denique virum laicum baptizandi peritum in promptu habêre, ut ne obstetricibus fœminis, nisi in summâ necessitate, cui aliter providêri nullo modo potest, baptizandi locus unquam detur.

Parentes autem omnino caveant, ne liberos suos baptizent absque manifestâ necessitate; cum scilicet alii quoquomodo apti non adsunt, & periculi urget necessitas, quod ipse etiam monêbit, prout usu aliquando venerit. Si verò Parentes tunc baptizent nullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii usum impediat.

De modo ministrandi Baptismi.

MInistratur Baptismus triplici modo, immersione, infusione aquæ, & aspersione. Sed immersionis modus cum antiquissimi in Sanctâ Dei Ecclesiâ institûti, ritusque sit, idemque in Ecclesiâ Ambrosianâ perpetuò retentus, ab eâ mergendi consuetudine recedere non licet, nisi imminens mortis periculum instet, tumque vel aquæ infusione, vel aspersione ministrabitur, servatâ illâ statâ baptizandi formâ.

Ad aquæ baptismalis infusionem non manus, sed vas ob eam causam parâtum, adhibebitur.

Id Parochus mergendo servabit, ut ab eâ parte fontis baptismalis stet, ut directo obtûtu orientem spectet.

In immersione hoc servabit, ut infantis latera manu utrâque firmiter excipiens, illius supini occiput ter mergat: primò dicens, In nomine Patris, iterum, & Filij, tertiò, & Spiritus Sancti. Quâ in immersione animadvertet, ut dum mergit, infantem ne lædat, at aquam verè illius occiput immersione tangat.

Si quando autem duo, pluresve infantes Baptismo offeruntur, eorum unicuique exorcismum, catechismum, & reliquas

statas

statas cæremonias separatim adhibebit: super iis tamen simul orationes dicere poterit, numerumque commutare ubi opus est, ut pluribus conveniat.

Infantibus autem oblatis, partim maribus, partim fœminis, separatim, atque ordine ministrabit, maribus scilicet primò, & deinde fœminis, mutatâ nominis, verbique ratione pro sexus genere.

Et verò, quod in Ecclesiâ Ambrosianâ veteris institûti, & consuetudinis est, decreto etiam provinciali renovatum, ut infantes in hebdomadâ authenticâ nati, Sabbato Sancto ad Basilicam Metropolitanam: & qui item hebdomadâ Pentecosten proximè antecedente, in lucem editi sunt, ad eandem Basilicam Baptismo offerantur, id unusquisque Parochus servet; ut iis solemni ritu hujus Ecclesiæ Archiepiscopus Baptismum ministret. A quâ solemnitate, quæ Archiepiscopalis muneris est, alius omnis vel Archipresbyter, vel Præpositus, vel Parochus, tam Urbis, quàm Diœcêsis abstinêbit.

De cæremoniis, quæ in Baptismo adhibentur.

Ritus, cæremoniæ, & solemnitates, quæ in Baptismo adhibentur, ejusmodi sunt, quas omitti nefas est, nisi cum baptizandi necessitas instat. Quamobrem Parochus cum illas, tum earum mysteria, & significationes rectè tenêbit, ut & religiosè, ritèque hoc sacramentum ministret, & peritè, pièque earum mysteria fidelibus expônat.

Has autem statas cæremonias Sacerdos cum Baptismum ministrabit, nunquam planè omittet, nisi quando ob necessitatem ministrabit.

Atque omnes quidem hæ cæremoniæ, precationesque ad tria capita rediguntur. Aliæ enim sunt, quæ antequam accedatur ad Baptismi fontem, servantur: aliæ, quæ cum ad ipsum fontem ventum est, adhibentur: & aliæ præterea, quæ, peracto jam Baptismo, addi solent.

De

De cæremoniis, quæ, priusquàm Baptismus ministratur, adhibentur.

IN primis aqua paranda est, quâ ad Baptismum uti oportet. Consecratur enim Baptismi fons, addito mysticæ unctionis oleo: neque id omni tempore, sed Sabbato Paschæ Resurrectionis Domini, & Pentecostes. Quamvis enim Baptismus quovis tempore, etiam interdicti, & cessationis à Divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen sacra illa duo tempora mysteriorum plena Baptismo celebrando solemnia, legitimaque esse docent Ecclesiæ Patres, & in primis Leo Pontifex sanctissimus. Nam quamvis, inquit is, totum, quidquid in Christo Domino, & virtûtis divînæ est, & infirmitatis humanæ, ad nostræ reparationis tendat effectum, propriè tamen Paschali tempore, nempe in morte crucifixi, & in resurrectione ex mortuis, potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus & mors Christi operêtur, & vita, dicente Beato Apostolo Paulo: An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsîus baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, &c. ex quibus appâret, Paschale tempus electum ad filios hominum regenerandos, & in filios Dei adoptandos. Huic paschali observantiæ additur etiam Pentecostes ex adventu Spiritus Sancti consecrata solemnitas, quæ de paschalis festi pendet articulo. Eo autem die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus Sancti replevit adventus trium millium populum, suâ prædicatione conversum, lavâcro baptismatis consecravit.

Aqua autem adhibetur ad significandam animæ ablutionem, quam Baptismus efficit. Ideoque ab Apostolo lavâcrum appel-

appellatur: oleum autem ad ostendendam gratiam Spiritus Sancti, quæ per Baptismum datur.

Deinde ante fores Ecclesiæ, qui Baptismo initiandi sunt, offeruntur, propterea quòd indigni sint, qui more fidelium domum Dei, antequam Christo Domino se addixerint, ingrediantur.

Tum verò Parochus ab eis exquirit, qui illos offerat.

Quo cognito ter conceptis verbis eum, qui baptizandus est, interrogat: Abrenuncias &c. Et ejus nomine patrinus ad singulas interrogationes respondet. Abrenuncio.

Et quoniam hujus sponsionis chirographum sanctè conceptum magnam vim habet in Cœlo, tum Parochus illos admonet, & contestatur dicens: Memor esto sermònis tui &c. ut ex his verbis intelligant, quàm diligenter hæc sponsio præstanda sit, sciantque hanc professionem christianorum esse propriam, ut non sint de hoc mundo, sed cor habeant ad Dominum, qui in cœlis est, expectantes beâtam, spem, & adventum gloriæ magni Dei.

Ad hujus, aliorumque mysteriorum explicationem adhibêbit doctrinam Patris nostri Sanctissimi Ambrosii. Et verò, cum hujus ipsius mysterii, harumque sponsionum ratio diligentissimè explicata sit Canone Concilii Parisiensis, non aliênum est illius verba exscribere: Constat autem unumquemque fidelem Deo in baptismate duarum pactionum nexibus se obligare: alterâ, quâ abrenunciare Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejùs: alterâ verò, quâ se in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credere profitêtur. Unde etiam sub ejusdem Sanctæ Trinitatis invocatione baptismatis gratiam consequitur. Cum ergo post hujuscemodi abrenunciationem quibuslibet illecebris vitiorum illectus, ad ea, quibus renunciavit, redit, necnon & post tantæ fidei perceptionem in apostasiam aut infidelitatis, aut hæreticæ pravitatis, aut fraterni schismatis prolabitur: procul dubio utriusq; pactionis transgressor

greſſor efficitur: quarum altera, quia baptiſmi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, eleemoſynarum largitionibus, cæteriſque bonorum operum exhibitionibus dilui poteſt. Altera verò, quæ prædictæ contagionis leprâ commaculata fuerit, niſi hac primùm per Chriſti caruerit gratiam, & ad unitatem Eccleſiæ redierit, mundari, & priſtinæ fidei colôrem, ſanitatiſque vigôrem recuperare non poterit. Quia ergo flammeus ille gladius, qui propter peccatum primi hominis, januam paradiſi obice mortalibus immobili oppilaverat, in ſacroſancto baptiſmatis fonte extinguitur, & eadem janua credentibus aperîtur: omnibus fidelibus ſtudendum eſt, ut pactionis, & ſponſionis, quam cum Deo in baptiſmate fecêrunt, ſemper memores exiſtant, caveantque ne quibuslibet vitiorum ſordibus ſe maculantes, non ſolùm eundem ſibi reaccendant ignem, verùm etiam immundum ſpiritum à ſe tempore baptiſmatis expulſum, cum ſeptenario dæmonum numero ſibi addito, ad ſe quoquomodo redîre faciant: fiantque illis, ut Dominus ait, noviſſima pejora prioribus: & impleatur in eis quod Beatus Petrus Apoſtolus ait: Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod traditum eſt illis, ſancto mandato, apteturque eis illud, quod idem ait: canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutâbro luti.

Poſteà ſalîvâ oris ſui Parochus tangit infantis aures, & nares, prolatis Chriſti Domini verbis, quibus aures, & linguam ſurdi, & muti tangendo uſus eſt: Ephphetha, hoc eſt adaperîre, celebratur enim myſterium apertionis aurium: ut aperiantur nares ad accipiendum odôrem notitiæ Dei, & pietatis æternæ, & ad diſcernendum bonum odôrem à malo, ſanam doctrinam à corrupta: aures autem ad audiendum mandata Dei, ut doctrina, quæ de ore altiſſimi fluxit, per ejus aures intret, & ei ſuaviter oleat.

Deinde adhibêtur exſufflatio, ut, hoc myſterio, Spiri-

tui Sancto cedat fugiens malignus spiritus: id quod fit non sinè Christi exemplo, qui insufflavit in discipulos suos, ut Spiritum Sanctum eis daret.

Tum sequitur exorcismus ad expellendum Diabolum. ejusque vires frangendas, & debilitandas sacris illis, & religiosis verbis.

Obsignantur præterea oleo sacro, figurâ crucis pectus, & scapulæ; ut intelligamus eos, qui Baptismo initiantur, quasi Christi athlêtas, ait Sanctus Ambrosius, luctâmen hujus sæculi luctaturos, solent enim luctantes inungi. Deinde, ut sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio, & gratuitâ misericordiâ donari, quæ oleo significatur. Præterea quia oleum est medicamenti species, quandoquidem Samaritanus infûdit in vulnera oleum, & vinum: ideò hac unctione demonstratur, intima animæ nostræ vulnera, & morbos hac medicinâ curari, fomitemque ipsum, quamvis non omnino extinguatur, at certè debilitari, viresque, & robur spirituale nobis addi, quo Satanæ, carnisque tentationum impetus depellamus. Pectus præterea ungitur, ut intelligamus, mentem, animumque divînâ virtute corroborari. Scapulæ verò, quia dantur homini vires ad jugum Christi Domini ferendum. Inungitur ante, & retro, ut undique muniatur, & confirmêtur ad opera bona præstanda corde, & corpore, voluntate, & opere.

Nomine deinde, quod parentes impôni volunt, appellatur, signoque Sanctæ Crucis obsignatur, quod ostendit eum, qui Baptismo initiatur, Christi Domini servitûti addîci, cum nominis impositio signum fit dominii. Quam ob causam cum vellet Deus docêre Adam, eum Principem, & dominum esse omnium animantium, ad eum illa adduxit, quibus nomina imponeret.

Sal item in illìus os, qui ad Baptismum adducendus est, inseritur, quo significatur, eum fidei doctrinâ, & gratiæ dono conse-

consecutûrum esse, ut à peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, & divînæ sapientiæ pabulo delectetur.

Iis peractis, infans in Ecclesiam introducitur, ubi primùm apud sacrum fontem humi collocâtur. Qui ritus cum supplicem ejus petitionem, qui se baptizari postulat, ostendit, cum prostrati humi olim baptismum peterent; tum significatio est sanctæ humilitatis, quam Christianus profitêri debet.

Tum Sacerdos unà cum eo, qui baptizandus est, aut si infans, cum Compatre, Commatreve dicit Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam. Quæ res indicat fidei professionem, quam christianum publicè præstâre oportet.

De cæremoniis, quæ, cum ad Baptismi fontem ventum est, adhibentur.

SEd cum jam Baptismum administrari oportet, quærit Parochus ab eo, qui baptizandus est, num baptizari velit: quo quidem per se, vel ejus nomine Patrîno annuente, statim de fide orthodoxa ab eo quærit trinâ interrogatione, ut tres sunt in divinitate personæ. Id verò fit, ut sciamus primùm, sine rectâ fide Baptismum nihil ad æternam salûtem prodesse: Nam qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Deinde, hoc Baptismi Sacramentum esse, dicîque sacramentum fidei, ut per illud infantibus habitus fidei infundatur, & adultôrum fides gratiâ Dei illustretur, formetur, & perficiatur. Trina item interrogatio, trinaque responsio, quæ fit verbo, Credo, adhibêtur, ut multiplicem lapsum, inquit Sanctus Ambrosius, superioris ætatis, absolvat trina confessio. Denique ut vobis, inquit idem, afferatur exemplum, Sanctus Apostolus Petrus posteaquàm in passione Domini lapsus vidêtur infirmitate conditionis humanæ, qui ante negaverat, posteà ut illum lapsum abolêret, & solveret, tertiò interrogatus à Christo, si Christum amaret,

tunc ille dicit: Tu nosti Domine, quia amo te; tertiò dixit, ut tertiò absolveretur. Sicut ergo peccatum dimittit Pater, sic dimittit Filius, sic & Spiritus Sanctus.

Interrogatus ter mergitur, in memoriam mortis, & resurrectionis Christi Domini: utque intelligat se cum Christo consepultum resurrecturum esse. Trinâ autem mersiône, significatur triduana Domini sepultura.

De cæremoniis, quæ, peracto Baptismo, servantur.

POst Baptismum dicitur Litania genibus flexis, ut intelligamus, Baptismi Sacramento eum communioni sanctorum adscriptum esse, quorum nomina invocantur.

Inungitur præterea à Parocho in vertice sacro chrismate, ut intelligat se ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, & eâ re Christianum à Christo, Christum verò à chrismate appellari.

Induitur postea baptizatus veste albâ, quæ vestis, inquit Sanctus Ambrosius, est indicium, quòd baptizatus exuerit involûcrum peccatorum, & induerit innocentiæ casta velamina.

Indicat item resurrectionis gloriam, ad quam per Baptismum renascimur.

Libertatem christianam, quam hoc sacramento sumus assecûti, erepti de servitûte Diaboli.

Innocentiam, atque integritatem, quam in omni vitâ baptizatus servare debet.

Lætitiam internam, & gaudium spiritus. Sicut enim vestis pulla est signum tristitiæ, ita candida gaudium indicat.

Traditur demum baptizato in manum cereus ardens, quo cereo significantur tres theologicæ virtûtes, quæ ipsi hoc sacramento infunduntur, fides in lumine, charitas in calôre, spes in cerei rectâ altitudine, quæ sursum ascendit, ut spes nostra ad cœlos usque excitatur, atque erigitur. Id præterea, quòd Baptismo nobis fit communicatio lucis, & depul-

sio

ſio tenebrarum: ob eamque cauſam Baptiſmus Sacramentum illuminationis, & baptizati, ii quidem illuminati à patribus dicuntur.

Ex antiquiſſimâ Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine cum præter miniſtrum, qui Baptiſmum conficit, alii etiam ad ſacram ablutionem adhibeantur, qui patrini, aut compatres vocantur, Parochus de iis, ut infra, animadvertet, ac ſervabit.

Non adhibêri ſinet ex iis plures, quàm unum tantùm, ſive virum, ſive mulierem, ex ſacrorum Canonum præſcripto, vel ad ſummum unum, & unam, ut Concilio Tridentino ſtatûtum eſt.

Non tamen ſimul virum, & uxôrem adhibêbit.

Ne excommunicatos, interdictos, publicè criminôſos, infameſve, pueros natu minôres quatuordecim annis; nec præterea, qui ſanâ mente non ſunt; neque eos, qui in Paſcha communionem non ſumpſerint; nec verò Monachos, Regulares, Clericoſve Seculares ſacris initiatos ad infantem de Baptiſmo ſuſcipiendum adhibêri ſinet. Nec præterea illos, quos putet ignorare Symbolum, Orationemque Dominicam, Salutationem Angelicam, rudimentaque fidei Chriſtianæ; neque item eos, qui nondum Confirmationis Sacramentum ſuſceperint.

Eam quoque rationem cohortando habêbit, ut ne peregrini, hoſpites ignôti, & ii denique compatres adhibeantur, quorum domicilium cum longè abſit, veriſimile non eſt, conſuetudinem inter baptizatum, eoſque ita futuram, ut ſuſcepti muneris functionem in eo inſtruendo præſtare poſſint.

Præmonêbit autem accuratè parentes paulò ante Baptiſmi miniſtrationem, ut compatres tales deligant, quales eos eſſe oportet, qui & vitæ exemplis, & chriſtianâ diſciplinâ, caſtiſque moribus alios inſtruere debent. Itaque in hoc delectu, non nobilitatis, aut divitiarum, non potentiæ, non



auctoritatis, non potestatis, non amicitiæ, non cujusvis alterius commodi, emolumentive rationem habêbunt; sed eos potius seligent, qui filiolòrum animæ magis consulere, quàm qui inopiæ subvenîre possint.

Compatres, cum in Baptismi ministerio Symbolum, & orationem Dominicam dici ritus postulat, unà secum recitare jubêbit.

Non patiêtur autem eos sacrum attingere chrisma. Neque item infanti, ejusve parentibus quidquam Baptismi tempore ab eo, eâve donari; neque ut canone vetitum est, quidquam sibi pecuniæ dari.

Infantem propterea, quem baptizaverit, supra altare non collocabit, ut inde compatrum muneribus redimatur.

Ne compatri, commatrîve linteola ad Baptismum adhibita tangenda, aut osculanda exhibêri sinet.

Compatres denique is, cum sæpe aliàs, præsertim Paschali tempore, & in Pentecoste, tum maximè posteaquam Baptismum ministraverit, hujusce debiti officii monêbit, docebitque eos hac potissimùm lege obstrictos esse, ut spirituales filiolos perpetuò commendatos habeant, ad vitamque christianam instituant; ac juxta Sancti Augustini sententiam admonêre non desistant, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant; & ante omnia, nisi à parentibus, aut ab aliis instruantur, Symbolum, orationemque Dominicam illos doceant, Decalogumque etiam, & quæ sunt prima christianæ religionis rudimenta. Proinde ipse Parochus inîbit studiosè certam aliquam rationem perquirendi etiam hujus officii, quod Compatres verè præstent. Speciàtim autem gravibus verbis eos commonefaciet, quorum filiolos animadverterit Doctrinæ Christianæ Scholas non frequentare, puerilibus ineptiis, ac vitiis deditos esse, aut in rebus humanis, puta in pascendo grege, ita perpetuò occupatos, ut ne festis quidem diebus ad Missam accêdant.

De

De iis, quæ Parochus, antequam infans in Ecclesiam ad Baptismum deferatur, curet, ac præmoneat.

PArochus infantem natum in Ecclesiam quamprimùm, aut omninò, ut in Concilio Provinciali primo cavêtur, ante nonum diem ad Baptismum suscipiendum deferri curabit. Idque etiam, cum ob necessitatem domi baptizatus est, ut statæ cæremoniæ ex ritu Ecclesiæ suppleantur.

Sinè ullo pompæ ornatu, sed simplici amictu eundem deferri præmonêbit, cum candelâ, quæ, ubi commodè habêri poterit, ceræ albæ erit.

Admonêbit etiam de nomine, quod infanti imponêtur, ut turpe non sit, non obscænum, non ridiculum, non fabulôsum, non ethnicum, non falsorum Deorum, non brutorum animantium, non facinorosorum hominum: nisi nomen tale sit, quod sancti habuêrunt. Est enim cum pietatis, disciplinæque christianæ ratione, atque officio conjunctum, quo primùm tempore nomen Christo Domino in Baptismo datur, id eligi, atque impôni, cujus nominis recordatione fidêles aliquando excitati, neque turpiter agant, & in ijs piorum operum curriculis versentur, quæ propônunt eis exempla sanctorum, quorum nomina habent.

Exposito autem infanti nomen impônet, quod in schedulâ collo ejus appensâ scriptum est: illudque notâbit certo libro, quò faciliùs, atque adeò certiùs, qui infantem exposuit, si quando voluerit, ex nomine recognoscat.

Quam ob causam aliquando, pro opportunitatis ratione, hospitalium locorum, ubi infantes expôni moris est, administratores, præfectosve monêbit, ut ea ipsa schedula asservêtur diligenter.

Cum verò sæpè aliàs, prout locus, tempus, personarumque conditio tulerit, tum maximè, cum expositum baptizat, hoc graviter monêbit, ut omnes, quicunque sint, caveant suos, aut alienos filios exponere, nisi urgens, magnaque necessitas id facere cogat: tuncque si fieri potest,

ne expônant in compitis, viâ, aliove loco, ubi facilè perirent; sed in hospitalibus, locisve speciàtim eo nomine constitutis: ac præterea collo appensâ, alligatâve infantis, qui exponitur, schedulâ, aut notâ aliâ indicante nomen, & Baptismum, si baptizatus est.

Cum infans, præsertim si iter longius est, ad Baptismum ferêtur, vas etiam aquæ portari monêbit Parochus; ut si quod fortasse mortis periculum, quod aliquando incidere potest, in itinere evenerit, ministretur etiam in viâ, periculo instante.

Vestem etiam candidam parvulam instar pallioli è telâ lineâ, aliove genere, non serico tamen, albi coloris confectam, quæ collo annecti possit, è domo parentum infantis portari significabit: quâ veste illum baptizatum induet cum dicet, accipe vestem candidam, ut infra suo loco.

De iis, quæ Parochus curet, cum timetur de partu.

QUoniam de improviso periculum partus incidit, hoc etiam Parochus aliquando monêbit, ut obstetrix, aliave mulier in partu præsens, si quando aliquam in parturiendo ita laborantem animadverterit, ut fœtui periculum mortis probabile, antequàm integrè nascatur, immineat, ubi primùm aliquod membrum vitalem motum habens ex matris utero extare videbit, illud aquâ perfundens, aspergensve, nullo nomine imposito, baptizet, dicens: EGO TE BAPTIZO, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Si quando autem in partu mulier obierit, hoc fieri admonêbit, ut uterus aperiatur, indèque fœtus eductus, si vivit, quamprimùm baptizetur. Id verò magnâ cautione fiat, ut & is vivus ex utero extrahatur, & tunc in primis, cum mater verè mortua est, ne pro salûte filii mater occidatur.

Hoc verò etiam parentes, & domesticos, prout oportunitas feret, admonêbit, pro fœtu, qui in utero est, Deum assiduè, intimèque precari, ut ille incolumis in lucem edatur,

tur, dignusque sit, antequam obeat, Baptismi gratiam percipere, ne sine salûtis sacramento decêdat.

Et quod piæ devotionis est, id quoque, prout usu venerit, admonêbit, ut tempori pariendi propinqua mulier ad Ecclesiam accêdat, ubi pro eâ præsente Sacerdos oret.

Mulier autem eo nomine cum veniet, piè, ac devotè ad altare majus benedictionem suscipiet, quam ille ritè adhibêbit, ut suo loco descripta est.

De iis, quæ Parochus ipse servet, & paret, antequam Baptismum ministret.

PRimò Parochus videbit, ut sinè conscientiâ peccati mortalis, quemadmodum supra in rubricis generalibus traditum est, purè, sanctèque sacramentum hoc administret. Jejunus, & manè ministrabit, nisi necessitas aliter postulat; Nec verò ante ortum, neque post occasum solis, nisi itidem necessitate urgente.

Ex alienâ autem Parochiâ infantem delâtum non baptizabit, nisi instante necessitate, aut de Episcopi, Parochìve proprii licentiâ, aut aliâ legitimâ facultate. Quamobrem primo quæret, an suæ Parochiæ sit infans Baptismo oblatus.

Diligenter imprimis ante investigabit, an infans baptizatus sit, & à quo, & quâ materiâ, & quâ formâ. Eum verò, qui baptizavit, de formâ prolatâ interrogabit, ut certò sciat, an ea rectè adhibita sit. Quam si certò compererit ritè adhibitam esse, nullo modo Baptismum iterabit, sed preces, & alia, quæ ad Baptismi solemnitatem pertinent, supplêbit.

Neque autem in prìvatis ædibus, Oratoriis, aliove loco, præterquàm in Ecclesiâ Parochiali, baptismalive solemniter baptizabit. Non tamen prohibetur, quin Regum, & Magnorum Principum Filii, id, ipsis ita deposcentibus, in eorum Cappellis, seu Oratoriis baptizentur, adhibitâ tamen aquâ baptismali de more benedictâ.

Paulò

Paulò ante, quàm Baptiſmum miniſtrat, præparabit oleum ſanctum, & chriſma, ſuis quodque vaſculis perſpicuè, ut ſupra, diſtinctum, eo ipſo anno in hebdomadâ ſanctâ, die Cœnæ Domini benedictum. Veteri autem vel oleo ſancto, vel chriſmate non utêtur, niſi antequam novum habeatur, neceſſitas illius utendi inciderit. Omnis autem Parochus, uſque adeò in tempore alium Sacerdotem, aut Clericum, ſacris initiatum mittet, qui ſacrum oleum recens ferat è Baſilicâ Metropolitanâ, eccleſiâve plebanâ, ut eo recenti uti poſſit, neque neceſſe habeat vetus adhibêre. Verùm, ſi recenti jam allato, aliquid reliqui eſt de veteri, in Sacrario ſtatim comburatur.

Si verò oleum ſacrum, chriſmave intrà annum deficere videtur, neque aliunde habêri poteſt; in tempore aliud non benedictum, ut alio loco dictum eſt, ſenſim tantum infundet, ut hoc minus ſit, quàm illud, quod conſecratum, benedictumve eſt.

Parata quoque habêbit hæc omnia, utpote pelvim uſui Eccleſiæ addictam, in qua lavet manus, peractâ Baptiſmi miniſtratione. Vas item aquæ, mappulam, bombacium ad abſtergendas infantis partes oleo, & chriſmate ſacro linîtas; quod quidem bombacium afferet in pelvicula decenti, in eâdem reponendum poſt abſterſionem, medullam panis item ad abſtergendos ſibi digitos inunctos, vaſculum cum ſale benedicendo, mantîle decens, & mundum ad abſtergendum caput baptizati ad præſcriptum Concilii Provincialis quarti.

Sal non domo infantis, qui baptizandus eſt, aſportatum, ſed in vaſculo, quod vaſi chriſmatis adjungitur, bene paratum habêbit, ita ut purum ſit, candidum, nec verò commiſtum, ac præterea non humidum, ſed ſiccum.

Illud verò ſpeciâtim benedicet ad uſum ejus, qui tum baptizandus eſt: neque ſale utêtur diebus Dominicis exorcizato ad aquæ benedictionem: Si quid verò ſupererit, ca-

vêbit,

vêbit, ne aliò asportetur, sed in sacrarium, aut in aquæ benedictæ labrum projicietur.

Parabit item hunc librum, in quo prævidebit etiam, ac dispiciet ordinem, & cæremonias Baptismi.

Habêbit etiam unum, aut plures, ubi fieri potest, clericos paratos, superpelliceis indûtos sibi opportunè ministrantes. In altari præterea si quod in baptisterio, aut prope baptisterium est, paratas habêbit candelas duas, quæ accensæ colluceant, dum Baptismum ministrat. Quòd si altare satis commodum Baptisterio non sit, in mensâ ibi cum mappâ decenti positâ, eadem lumina habêbit.

In ipsa autem ministratione præter cætera, quæ vel generâtim, vel speciâtim jam supra tradita sunt, hæc etiam animadvertet, ut ubi littera N. scribitur, nomen ejus, eorumve, qui catechizantur, baptizanturve aptè, rectèque exprimat pro ratione sexus, numeri, & casus.

Ubi adscripta est crux ✠ crucis figûram formabit.

His ita paratis, & animadversis Parochus, Sacerdosve, infante ad Baptismum oblato, lavat manus; superpelliceo, stolâque violaceâ in exorcismis, catechismisque utitur: cum ad baptizandum accêdit, illâ depositâ, aliam albi colôris sumit.

Accêdens igitur ad fores Ecclesiæ interrogat primò, qui susceptores sint: tum baptizandi ordinem tenet, ut infra.



ORDO

ORDO BAPTISMI PARVULORUM.



Nfans ſub veſtibulo Eccleſiæ præ foribus à Compatre, aut Commâtre, brachio dextro illum, vel illam ſuſtentante, ita offertur, ut è conſpectu Parochi ſit, qui ſuperpelliceo, & ſtolâ violaceâ indutus, in limine oſtii Eccleſiæ ſtans, primò interroget, an ſuæ Parochiæ; tum maſculus ne ſit, an fœmina; poſt, an domi baptizatus. Ubi verò baptizatus non ſit, ita ut infra, ordine, ritèque interrogat, & advertat, ut genus in pronunciando ſemper mutet, ſi fœmina fuerit, ut in rubricis dictum eſt.

Parochus. Quis illum offert? Patrinus. Ego.
Par. Quid vult fieri? Patr. Chriſtianus.
Par. Merêtur à parentibus ſuis? Patr. Merêtur.

Tum Parochus abrenunciationis myſterium inchoando, ad infantem verſus, interrogat.

A brenuncias Diabolo?

Patrinus pro infante reſpondet.

A brenuncio.

Parochus. Abrenuncias ſæculo, & pompis ejus?
Patrinus. Abrenuncio.

Tum Parochus illum admonet, & conteſtatur dicens.

M emor eſto ſermonis tui: & nunquam tibi excidat tuæ ſeries cautiônis. Patr. Memor ero.

Deinde Parochus pollice, & indice ſalîvâ oris ſui perfûſo, tangit infantis aures, & nares. Cum tangit aures, dicit.

E phphetha, quod eſt, adaperîre. Nares tangendo, dicit.

In

In odôrem ſuavitatis, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Poſt ter faciem illîus, ad ſimilitudinem crucis, exſufflat, dicendo.

Exſufflo te, immundiſſime ſpiritus, in nomine ✠ ✠ ✠ Domini noſtri Jeſu Chriſti. Tu autem effugâre Diabole: appropinquabit enim judicium Dei.

Hic oleo catechumenorum pollice ſuo intincto, eum ungit in pectore, & inter ſcapulas, ſignum Crucis faciendo, ſimulque dicendo:

Ego te linio oleo ſalûtis, in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Poſtea bombacio partes unctas abſtergit, quod in pelviculâ reponit, ut poſt Baptiſmum comburatur, & in ſacrarium mittatur, ac deinceps dicit.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

ÆTernam, & juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus luminis auctor, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum, ut dignêris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum, & ſanctifica: da ei ſcientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui. Teneat firmam ſpem, conſilium rectum, & doctrinam ſanctam: ut aptus ſit ad percipiendam gratiam tuam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum, & cum Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Exſufflat in faciem ejus ad ſimilitudinem Crucis, tum dicit.

Exorcizo te, omnis immundiſſime ſpiritus, in nomine Domini noſtri ✠ Jeſu Chriſti. Omnis incurſio adverſarii, omnis ira, omne phantaſma, eradicâre, & effugâre ab hoc plaſmate Dei, quod Dominus noſter

ster Jesus Christus hodie ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitet in eo, in nomine ✠ Dei Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Jesu Christi Filii ejus, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Hic interrogat, quod nomen parentes, aut offerentes infanti impôni volunt, eoque nomine appellans, crucem in fronte faciens, dicit:

N. **Accipe signum Sanctæ ✠ Crucis, serva præcepta divina: verbo Dei hodie renasceris, & cœlesti luce formaris. Ingredere templum Dei vivi, & sublato errore tenebrarum, evasisse te laqueos mortis, lætus agnosce. Nunc ergo promissa cœlestia, & adventum Dei omnipotentis expecta: ut possis sperare venturum verbum genitum, virginali partu editum, credentibus annunciatum, in cujus invocatione illuminaris, cujusque signaculo in fronte signaris, per hoc signum, quod non delebitur, in nomine ✠ Dei Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Jesu Christi Filii ejus, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.**

℣. **Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.**

Oratio.

DEus, cui ad initiandum nulla parvitas non idonea est, qui omnem ætatem, omnemque sexum ad majestatis tuæ cultum dignanter admittis: tibi hæc novi hominis exordia, & rudis vitæ dicâmus infantiam. Da, ut hunc ignârum mali parvulum unigeniti tui signo Sanctæ ✠ Crucis tueatur inscriptio: tuus sit, tibi adolescat, te timeat, te diligat, te creatorem suum semper agnoscat, & ad sanctum lavâcrum regenerationis, te deducente, perveniat. Per eundem Dñm nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus

tus

tus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hic loco Parochus exorcizat; & benedicit sal, in quo benedicendo tribus primis vicibus exsufflat super illud ad similitudinem crucis; reliquis verò manu tantùm benedicit.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in charitate Domini nostri Jesu ✠ Christi, & in virtûte Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te ad tutêlam generis humani procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcêpit. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis, in nomine Sanctæ Trinitatis, efficiatur salutare sacramentum, ad effugandum inimicum: quam tu, Domine, sanctificando ✠ sanctifices, & benedicendo ✠ benedîcas: ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde accipit sal benedictum primoribus digitis, & dum modicum immittit in os infantis, eum nominâtim appellando, ita dicit.

N. Accipe sal sapientiæ: propitiatum sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen,

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, te supplices exorâmus, ut hunc famulum tuum N. respicere dignêris propitius: ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutiùs esurîre permittas, quò minùs cibo repleatur cœlesti: quatenus sit semper divîno spiritu fervens, spe gaudens, & tuo nomini serviens. Perduc eum ad novæ regeneratio-

nerationis lavâcrum, ut cum fidelibus tuis promisſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DEus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus, qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & filios Iſrael de terra Ægypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die, & nocte; te quæſumus, Domine, ut mittere dignêris Sanctum Angelum tuum, ut ſimiliter cuſtodiat hunc famulum tuum N., & perdûcat eum ad gratiam Baptiſmi tui. Ergo, maledicte Diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honôrem Deo vivo, & vero; da honôrem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto; & recêde ab hoc famulo Dei, quia iſtum ſibi Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptiſmatis vocare dignatus eſt. Et hoc ✠ ſignum Sanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte Diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ventûrus eſt judicare ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Hoc loco Parochus exuit ſtolam violaceam, & induit albi colôris aliam, quâ non infantem tangens, ſed nutu ſignificans ut introeat, præeundo illum introdûcit in Eccleſiam, dicens:

Ingredere fili in Domum Dei: audi patrem tuum docentem te viam ſcientiæ.

Dum accêdit ad fontem, poteſt dicere Pſalmum ſequ.

Pſalmus 41.

SIcut cervus deſiderat ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitîvit

Sitivit anima mea ad Deum, fortem, vivum: quando veniam, & apparêbo ante faciem Dei?
Fuêrunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?
Hæc memorâtus sum, & effûdi in me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.
In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.
Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?
Spera in Deum, quoniam confitêbor illi: salutáre vultus mei, & Deus meus.
Ad me ipsum anima mea turbata est; propterea memor ero tui Domine de terrâ Jordânis: & Hermoniim à monte modico.
Abyssus abyssum invocat: in voce cataractârum tuarum.
Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transiêrunt.
In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus apud me.
Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es, quare me oblitus es?
Quare tristis incêdo, dum affligit me inimîcus? dum confringuntur ossa mea, exprobravêrunt me inimîci mei.
Dum ipsi dicerent mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus?
Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?
Spera in Deum, quoniam confitêbor illi: salutâre vultus mei, & Deus meus.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.
Infans apud sacrum fontem humi collocatur, pedibus versis ad baptismalem fontem: & Sacerdos ad Altare spectans, unà cum Compatre, Commatreve dicit;
Credo, & Pater noster, ut mox infra.
Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem

Cæli, & Terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde ventûrus est judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Vitam æternam. Amen.

Pater noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in Terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos indûcas in tentationèm. Sed libera nos à malo. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, respice propitius de excelsâ sede Majestatis tuæ super hunc famulum tuum N. competentem, qui ad tuam cucurrit Ecclesiam. Concêde ei Domine, ut sub protectione manus tuæ ad sacri baptismatis gratiam pervenîre mereâtur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea interrogat eum, qui baptizandus est, proprio nomine hoc modo.

Parochus. N. Quid petis? Patrinus. Baptizari.

Paroch. Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ? Patr. Credo.

Paroch. Credis, & in Jesum Christum Filium ejus unicum,

cum, Dominum noſtrum, natum, & paſſum?
Patr. Credo.
Paroch. Credis & in Spiritum Sanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam: ſanctorum communionem: remiſſionem peccatorum: carnis reſurrectionem: vitam æternam? Patr. Credo.
Deinde Parochus infantem ſupînum à Patrino ſublatum utrâque manu excipit ita, ut dextera capiti ejus propior ſit: tum ter occiput mergit in aquâ in crucis formam. Et mergendo, ſi certò ſcit illum non eſſe baptizatum, explicatè profert.
N. Ego te baptizo, in nomine Patris: ✠ & Filii: ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.
Quæ verba proferantur, dum ter mergit; ſemel dum ait: N. Ego te baptizo, in nomine Patris. Iterum dum ait: & Filii. Tertiò dum dicit: & Spiritus Sancti. Amen.
Compater autem poſtrêmò, vel Commater, vel uterque ſimul, ſi ambo admittantur, manum Infanti ſuppônit, & de fonte levat; atque ita tenet, ut Orientem ſpectet.
Sin autem Parochus, re inveſtigatâ, atque exploratâ, dubitat, an infans baptizatus ſit, ita dicit:
N. Si baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es: Ego te baptizo in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen. idque mergendo modo ſupra notato.
Parochus baptizati infantis caput mantîli abſtergit: tum genibus flexis cum Compatre dicit Litaniam.

Kyrie eleiſon. ℟. Kyrie eleiſon.
Kyrie eleiſon. ℟. Kyrie eleiſon.
Kyrie eleiſon. ℟. Kyrie eleiſon.
Domine miſerêre. ℟. Domine miſerêre.
Domine miſerêre. ℟. Domine miſerêre.
Domine miſerêre. ℟. Domine miſerêre.

Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
S Marîa, interc. pro eo, si fuerit fœmina dicat, pro eâ.
Sancte Michael, intercede pro eo.
Sancte Gabriel, intercede pro eo.
Sancte Raphael, intercede pro eo.
Sancte Joannes, intercede pro eo.
Sancte Petre, intercede pro eo.
Sancte Paule, intercede pro eo.
Sancte Jacôbe, intercede pro eo.
Sancte Andrêa, intercede pro eo.
Sancte Stephane, intercede pro eo.
Sancte Nazâri, intercede pro eo.
Sancte Celse, intercede pro eo.
Sancte Protasi, intercede pro eo.
Sancte Gervasi, intercede pro eo.
Sancta Thecla, intercede pro eo.
Sancta Pelagia, intercede pro eo.
Sancte Martîne, intercede pro eo.
Sancte Galdîne, intercede pro eo.
Sancte Carole, intercede pro eo.
Sancte Ambrosi, intercede pro eo.
Omnes Sancti, intercedite pro eo.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Christe. ℟. Voces nostras.
Exaudi Christe. ℟. Voces nostras.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Exaudi Deus, ℟. Et miserêre nobis.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.

Baptizato infante, Sacerdos intingit pollicem in chrismate, & profert orationem sequentem: & dum dicit

Ipse

Ipse te liniat &c. ungit verticem infantis in formam crucis. ℣ Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aquâ, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem peccatorum omnium, ipse te liniat chrismate salútis in Christo ✠ Jesu Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde bombacio eum abstergit, & repônit ut supra, imponitque ei vestem candidam: & dum impônit, ita dicit.

Accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam, quam perferas sinè maculâ ante Tribûnal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea dat Compatri, Commatrivè infantem in dexterá tenenti candelam accensam, & ait.

Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem: custôdi Baptismum tuum, serva Dei mandata; ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis ei occurrere unà cum omnibus sanctis in aulâ cœlesti, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum ex aquâ, & Spiritu Sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: tribue ei continuam sanitatem, ad cognoscendam divinitatis tuæ virtûtem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.
℣. Benedictio Dei omnipotentis, Patris ✠, & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Quæ servanda sunt post Baptismum.

Baptismo explêto, medullâ panis digitos Parochus absterget: aquâ manus ambas solus lavâbit, neque ullus præterea alius: aquam ablutionis in sacrarium statim effundet.

Si quæ autem linteola ad abstergendum infantis caput allata erunt, ea sic adhibita in usum profanum non convertet, quòd si Ecclesiæ usibus accommodari non queunt, combûret, cinerem verò in sacrario recondet.

Lotis manibus, sermônem pro personarum multitudine, statûque habêbit; in quo, præter cætera, aliquam etiam considerationem christianam explicâbit, de solemni sponsione, quam unusquisque fidelis in Baptismo facit; ut fidêles, qui adsunt, tam sanctæ promissionis recordatione excitâti, videant, atque exequantur, quæ solemniter spopondêrunt.

Compatres præterea monêbit, docebitque eorum officii partes, quas pro susceptionis, fidejussionisve munere præstâre debent, ut scilicet, quemadmodum S. Augustinus monet, infanti semper sollicitudinem veræ charitatis impendant, curentque, ut is instituatur Doctrînæ Christianæ rudimentis, admoneantque, ut idem castitatem custodiat; à maledicto, & perjurio linguam cohibeat; cantica turpia, & obscœna non proferat; superbiâ non efferâtur; non invideat; iracundiam, odiumve in corde non teneat; & alia id generis.

Demonstrabit item cognationem spiritualem, quæ inter Compatres, & baptizatum, illiusque Patrem, & Matrem; ac præterea inter baptizantem, baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantùm contracta est.

Quæ cognatio spiritualis docêbit, quàm mutuis sanctæ charitatis officiis, & quàm sincerè, & quàm castè in primis colenda sit. Monê-

Monêbit de pœnâ excommunicationis decreto Concilii Provincialis propositâ, ipso facto subeundâ, si ante annum puerpera, nutrixve, aut alia quævis mulier, aut alius quicunque vir infantem unà secum in lecto teneat, sinè præscriptâ cautione; aut si quis id facere coegerit.

Monebit item, ut puerpera, simul atque domo pedem à partu efferet, Ecclesiam Parochialem adeat, ubi benedictionem accipiat, statâ prece præscriptâ in hujus libri parte secundâ.

Cavêbit, ne ob eam causam ipse puerperæ domum ingrediatur, etiam si illa adversâ valetudine labôret.

Neque eidem panem benedictum sub hostiæ formâ præbêbit.

Cavêbit à commessationibus Baptismi tempore, etiam domi parentum infantis.

Notâbit præscriptâ ratione in libro baptizatorum, antequam discedatur, si commodè fieri potest, nomina, & cognomina, ac patriam infantis, parentum, & patrini, ac matrinæ sive in Ecclesia, sivè domi infans baptizatus est: annum item, & diem, cæteraque ad præscriptum formulæ traditæ.

Monêbit denique, eundem Baptismi diem à parentibus notâri, ut quo die infans baptizatus est, eum ex institûto Patrum, quotannis ardentiori prece, eleemosynâ, si per facultates potest, omnique charitatis opere, atque officio, spiritalisque gaudii celebritate recolat: memor se, chyrographo damnationis delêto, hæreditatis cœlestis participem in Christo Domino factum esse. Repete, inquit Sanctissimus Pater noster Ambrosius, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus ejus, Mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus. Memor esto sermônis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.

ORDO SUPPLENDI

In Ecclesiâ solemnes Baptismi cæremonias, cum infans domi ob necessitatem baptizatus est.



Arochus superpelliceo, & stolâ violaceâ indûtus, in limine Ecclesiæ de infante domi baptizato in vestibulo Ecclesiæ oblato, ut superius dictum est, interrogat. Deinde à patrino nomen infantis inquîrit; tum illum appellans dicit:

N. Memor esto sermônis tui: & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.

Patrinus. Memor ero.

Deinde Parochus pollice, & indice salivâ oris sui persûso, tangit infantis aures, primò dexteram, deinde sinistram, dicendo:

Ephphetha, quod est, adaperîre. Postea nares, dicendo:

In odôrem suavitatis, in Christo Jesu Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Hic oleo catechumenorum pollice suo inuncto, eum ungit in pectore, & inter scapulas, signum crucis faciendo, simulque dicendo:

Ego te linio oleo salûtis, in Christo Iesu ✠ Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Postea bombacio partes unctas abstergit: ac deinceps dicit: ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio

Oratio.

ÆTernam, ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, & veritatis super hunc famulum tuum N. ut dignêris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, &c.

Hic illum appellans signat in fronte signo crucis, his verbis.

N. Accipe signum ✠ Sanctæ Crucis, serva præcepta divina. Ingredere templum Dei vivi, &, sublato errôre tenebrarum, evasisse te laqueos mortis lætus agnôsce. Nunc ergo promissa cœlestia, & adventum Dei omnipotentis expecta: ut possis sperare ventûrum verbum genitum, virginali partu editum, credentibus annunciatum, in cujus invocatione illuminaris, cujusque signaculo in fronte signaris, per hoc signum, quod non delebitur, in nomine ✠ Dei Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Jesu Christi Filii ejus, qui ventûrus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, cui ad initiandum nulla parvitas non idônea est, qui omnem ætatem, omnemque sexum ad majestatis tuæ cultum dignanter admittis: tibi hæc novi hominis exôrdia, & rudis vitæ dicâmus infantiam. Da, ut hunc ignârum mali parvulum unigeniti tui signo Sanctæ ✠ Crucis tueatur inscriptio: tuus sit, tibi adolescat, te timeat, te diligat, te creatorem suum semper agnoscat. Per eundem Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hoc

Hoc loco Parochus exorcizat, & benedicit sal, in quo benedicendo, tribus primis vicibus exsufflat super illud ad similitudinem crucis; reliquis verò manu tantùm benedicit, sicque dicit.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in charitate Domini nostri Jesu ✠ Christi, & in virtute Spiritus ✠ Sancti. Exorcizo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ Sanctum, per Deum, qui te ad tutêlam generis humani procreavit, & populo venienti ad credulitatem, per servos suos consecrari præcêpit. Proinde rogâmus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis, in nomine Sanctæ Trinitatis efficiatur salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum: quam tu Domine, sanctificando ✠ sanctifices, & benedicendo ✠ benedicas: ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui ventûrus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde accipit sal benedictum primoribus digitis, & dum modicum immittit in os infantis, eum nominatim appellando, ita dicit:

N. Accipe sal sapientiæ, propitiatum sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, te supplices exorâmus: ut hunc famulum tuum N. respicere dignêris propitius: ut hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurîre permittas, quò minùs cibo repleatur cœlesti: quatenus sit semper divîno spiritu fervens, spe gaudens, & tuo nomini serviens. Per Dominum nostrum Jêsum Christum Filium tuum: qui tecum vivit,

vit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde, stolâ albâ susceptâ, introdûcit eum in Ecclesiam, & ait.

Ingredere fili in domum Dei: audi patrem tuum docentem te viam scientiæ.

Dum accêdit ad fontem potest dicere Psalmum.

Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, &c. ut supra, pag. 32.

Infans apud sacrum fontem humi collocatur, & Sacerdos unà cum Compatre, Comatreve dicit, Credo, & Pater noster, ut infra.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatôrem cœli, & terræ.

Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.

Sanctorum communionem.

Remissionem peccatorum.

Carnis resurrectionem.

Vitam æternam. Amen.

Pater noster, qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Et

Et ne nos indûcas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, respice propitius de excelsa sede majestatis tuæ super hunc famulum tuum N qui ad tuam cucurrit Ecclesiam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: qui tecum &c.

Deinde dicit cum Compatre Litaniam genibus flexis, ut infra.

Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Domine miserêre. ℟. Domine miserêre.
Domine miserêre. ℟. Domine miserêre.
Domine miserêre. ℟. Domine miserêre.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
S. Maria, interc. pro eo. si fuerit fœmina dicat, pro eâ.
Sancte Michael, intercede pro eo.
Sancte Gabriel, intercede pro eo.
Sancte Raphael, intercede pro eo.
Sancte Joannes, intercede pro eo.
Sancte Petre, intercede pro eo.
Sancte Paule, intercede pro eo.
Sancte Jacôbe, intercede pro eo.
Sancte Andrêa, intercede pro eo.
Sancte Stephane, intercede pro eo.
Sancte Nazari, intercede pro eo.
Sancte Celse, intercede pro eo.
Sancte Protasi, intercede pro eo.
Sancte Gervasi, intercede pro eo.
Sancta Thecla, intercede pro eo.

Sancta

Sancta Pelagia, intercede pro eo.
Sancte Martîne, intercede pro eo.
Sancte Galdîne, intercede pro eo.
Sancte Carole, intercede pro eo.
Sancte Ambrosi, intercede pro eo.
Omnes Sancti, intercedite pro eo.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.

Hic postea Parochus intingit pollicem in chrismate, & profert orationem sequentem, & dum dicit: **Ipse te liniat &c.** ungit verticem infantis chrismate in formam crucis.

℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oratio.

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aquâ, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem peccatorum omnium, ipse te liniat chrismate salûtis in Christo ✠ Jesu Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde bombacio locum abstergit, imponitque ei vestem candidam, & dum impônit, ita dicit:

Accipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam, quam perferas sinè maculâ ante Tribûnal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea dat Compatri, Commatrive, quæ infantem in dexterâ tenet, candelam accensam, & ait:

Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem: custo-

di Baptiſmum tuum, ſerva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis ei occurrere unà cum omnibus Sanctis in aulà cæleſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti famulum tuum ex aquâ, & Spiritu Sancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum: tribue ei continuam ſanitatem ad cognoſcendam divinitatis tuæ virtûtem. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.


Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Chriſti.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.



DE

DE BAPTISMO ADULTORUM.



Licèt Episcopalis curæ sit, quemadmodum Conciliis Provincialibus decrêtum est, ut, quæ cura, & diligentia ex Canonum præscripto, Patrumque doctrinâ adhibenda est in iis ad Baptismum admittendis, qui adultâ, seu perfectâ sunt ætate, ea ne ullo modo omittatur; immo Episcopi plerumque ejus ætatis homines ipsi baptizare soleant: hoc tamen loco ea res omnino prætermittenda non fuit.

Cum is Baptismum petit, sive Judæus ille sit, sive Pagânus, sive alius, primò quærantur testimonia certa de ejus conditione, anteactâ vitâ, statûque omni: & hominis voluntas diligenter explorêtur, utrum ex animo, verâque pietate Baptismum petat.

Si ita comperiatur, per pium, religiosumque virum inquiratur, utrum priôrem vitæ rationem deserere verè propônat; utrum peccatorum suorum pœniteat, atque in posterum abstinêre statuat.

Ad quæ si ille rectè, pièque animo sit parâtus, tum idoneo, religiosoque viro committatur, à quo per aliquot menses, nisi justa, vel necessaria causa brevius spatium requîrat, fidei doctrinâ, & christianæ vitæ institutionibus accuratè erudiatur, & congruâ quoque abstinentiâ exerceatur.

Cum satis fuerit Archiepiscopi arbitrio christianè instructus, ad Ecclesiam ducâtur communi vestîtu, albam vestem mox post Baptismum ritè acceptûrus, eique statæ cæremoniæ adhibeantur, ex ordine Baptismi parvulorum.

Et quoniam dilatio Baptismi adulti convenit, poterit plerumque, ad majôrem sacramenti cultum, unum ex statis temporibus Paschatis, & Pentecostes expectari. Inter-

Interroganti respondeat ipse, non patrinus: quòd si fortè mutus, aut furiôsus baptizandus esset, Archiepiscopus consulatur; qui item statuat, quando illa interrogatio adhibenda sit. Mereturʼ à parentibus?

Patrinus tamen semper assistat, tanquam qui pro baptizando spondeat.

Genuflexus debet, qui baptizandus est, fidem profitêri, Baptismumque petere.

Baptizetur per immersionem, ut ritus Ambrosianæ Ecclesiæ postulat, si quidem commodè fieri possit; aliòquin per infusionem.

Quomodo autem qui baptizatus est, postea curetur, sive à patrinis, quorum proprium officium est, sive ab aliis ab Archiepiscopo probâtis, Concilio Provinciali primo expressum est, quo loco de Judæis agitur.

Ritus servandus cum Archiepiscopus baptizat.

SI Archiepiscopus per Annum baptizare voluerit, catechismus, & exorcismus per Archipresbyterum, vel alium Sacerdotem ejusdem Archiepiscopi jussu fieri poterit; nisi ipsemet facere statuerit: Quod interdum faciendum videtur, habitâ ratione Persônæ, quæ baptizatur, vel quæ baptizandum offert.

Cum ad baptizandum procedendum erit, paratis omnibus, & præsertim Parocho astante, Archiepiscopus, adhibitis Assistentibus de more, in sede suâ induit Paramenta violacei colôris, videlicet Albam, Cingulum, Amictum, Crucem, Stolam, Pluviale, & Mitram simplicem, & præviâ Cruce cum duobus Acolythis, qui Candelâbra cum Cereis accensis deferant, cum Baculo pastorali ad fores Ecclesiæ accêdens ascendet super gradum à terrâ elevatum, atque stratum.

tum. Decet autem fores Ecclesiæ ornatas esse, & solium Archiepiscopi erectum.

Tunc Archiepiscopus sedens cum Mitrâ interrogat: Quis illum offert? &c. ac ad reliquas interrogationes procêdit, quæ superiùs habentur in Ordine Baptismi. Eodem modo sedens admonet dicendo: Memor esto &c. Surgit cum Mitrâ, dum pollice, & indice salivâ oris sui persûso tangit baptizandi aures, & nares dicens: Ephphetha &c., & adhuc stans cum Mitrâ exsufflat dicens: Exsufflo te, immundissime spiritus &c.

Sedet deinde cum Mitrâ, & oleo catechumenorum pollice suo intincto ungit in pectore, & inter scapulas dicens: Ego te linio &c. Surgit sine Mitrâ, & dicto ℣. Dominus vobiscum, legit Orationem: Æternam, & justissimam &c. Absolutà Oratione, sedet, accipit Mitram, mox surgens exsufflat in faciem baptizandi ad similitudinem crucis, tum dicit: Exorcizo te, omnis immundissime spiritus &c. Sedet, retentâ Mitrâ, & interrogat, quod nomen Parentes baptizando impôni volunt, eoque nomine appellans, Crucem in fronte faciens dicit: N. Accipe signum Sanctæ ✠ Crucis.

Surgit sine Mitrâ, & dicto ℣. Dominus vobiscum, legit Orationem: Deus cui ad initiandum &c. quâ absolutâ, accipit Mitram, & stans exorcizat, ac benedicit Sal (quando in promptu non habeat jam benedictum) dicens: Exorcizo te, Creatura Salis; Dum verò Sal in os baptizandi immittit dicens: N. Accipe Sal sapientiæ &c., Sedet cum Mitrâ.

Surgit sine Mitrâ, dicit ℣. Dominus vobiscum. Deus Patrum nostrorum &c., & aliam Orationem, quæ incipit: Deus Abraham, Deus Isaac &c., quâ absolutâ, deposito Pluviali, & Stolâ violaceâ sumit Stolam, ac Pluviale albi colòris, & cum Mitrâ auriphrigiatâ introdûcit baptizandum in Ecclesiam præeundo illum dicens: Ingredere Fili &c., & legens Psal. 41. Sicut cervus &c. Quo finito, stans sine Mitrâ recitat cum susceptoribus Credo, & Pater noster.

ſter. Mox dicit ℣. Dominus vobiſcum, & legit Orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius &c. Sedet cum Mitrâ, & interrogat. N. Quid petis? &c. His interrogationibus abſolûtis, ſtans cum Mitrâ baptizat per immerſionem modo, ac ritu ſuperiùs deſcripto.

Quòd ſi baptizandus fuerit adultus, & commodè per immerſionem baptizari nequeat, tunc ſedens cum Mitrâ illum per infuſionem baptizet.

Procumbit ſuper Faldiſtorium cum Mitrâ, dum dicuntur Litaniæ Sanctorum, quibus finitis, ſurgit, & ſine Mitrâ dicit ℣. Dominus vobiſcum, & Orationem: Deus Omnipotens &c. Et ad illa verba: Ipſe te liniat &c. ungit verticem baptizati in formam Crucis cum Oleo Chriſmâli. Sedet deinde cum Mitrâ, & impônit Veſtem candidam, dicens: Accipe Veſtem candidam &c. Poſtea dat Compatri, Commatrive Candelam accenſam dicens: Accipe Lampadem ardentem &c. Surgit ſine Mitrâ, dicit ℣. Dominus vobiſcum, & Orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti &c., ac tandem conclûdit cum ℣. Dominus vobiſcum, ter Kyrie. Benedicat &c.

Si hujuſmodi adminiſtratio fuerit ſolemni ritu facta, ſolemnem quoque in fine benedictionem Archiepiſcopalem impertitur, niſi fortè Sermônem habêre velit, uti valde congruum eſt, quia tunc, peracto ſermône, ſolemniter benedicet. Parochus interim Baptiſmum hujuſmodi in librum referet, & alia peraget, quæ poſt Baptiſmum facienda præſcribuntur.



DE

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

Rubricæ, seu instructiones.

Quæ Parochus, aliive Sacerdotes curent, atque exequantur, Episcopo Sacramentum Confirmationis ministrante.



UI per Baptismum Christiani facti sunt, quoniam ii adhuc imbecilli in spirituali certamine viriliter pugnâre non queunt, Chrismatis Sacramento, quo Spiritus Sanctus in corda fidelium se infundit, roborâti, nisi aliud illius efficientiam impediat, adversùs omnes carnis, mundi, & Diaboli impetus fortiores fiunt, novæque virtûtis robore firmiores Christi milites esse incipiunt. Ob eam causam Confirmatio sacramentum hoc appellatur, cujus sacramenti ministrandi solus Episcopus habet potestatem ordinariam. At Parochus tamen pro curæ suæ munere in eo invigilábit, ut aliquas etiam partes curet, atque exequatur, quæ ad illud piè, religiosèque suscipiendum attinent.

Primùm igitur Dominico, festòve die, qui solemnem hujus sacramenti administrationem proximè præcêdet, pastorales Archiepiscopi litteras promulgabit, unde etiam instructionem sumet sermônis, & cohortationis suæ.

Argumentum quoque ei uberrimum ad instruendum populum suppeditabunt sacramenti hujus vis, natûra, & dignitas, salutaresque effectus, ac præterea rituum, & cæremoniarum, quæ adhibentur, sanctiores significationes: quâ in

re etiam Catechiſmi Romani doctrinam, & ſententias Patrum appoſitas habêbit.

Materia hujus ſacramenti eſt chriſma, quod ex oleo, & balſamo, ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur: atque id non omni quovis tempore, ſed ſtato ſacro, ſolemnique die Cœnæ Domini. Hinc oſtendet Parochus quantâ religione, quantis virtutibus, quàm multis rectè factis conſcientia Chriſtiani hominis nitêre debeat, quandoquidem nitôrem illum oleum ſignificat, quod, cum pingue ſit, naturâque ſuâ diffluat, gratiæ etiam plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum Sanctum à Chriſto capite in alios redundat, atque effunditur. Hic locus eſt, quo Parochus demonſtrabit illa divinæ gratiæ munera fidelibus collâta, ex quibus divinæ miſericordiæ abundantiam pietatis officiis agnoſcant, religioſèque recolant. Virtûtum autem omnium, quibus homo chriſtianus circumfluere debet, ſuavitatem in omnem partem diffundere illum oportêre, ſignificat illud, quo linitur, balſamum oleo miſtum, cujus odorâtus jucundiſſimus diffluit, quod idem, quoniam putreſcere non ſinit, quæ illo fuerint circumlita, oſtendit, hominem confirmatum faciliùs à contagiône peccatorum defendi poſſe.

Forma illa ſolemnis, quâ Epiſcopus in ſacramento hoc miniſtrando utitur, plena myſtêriis eſt, quibus etiam populo explicandis Parochus ſtudium adhibêbit: divinam poteſtatem, quæ, ut principalis cauſa, in ſacramento operâtur, oſtendet in iis verbis: IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Tum præterea in iis verbis, CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS, obſervâbit, atque adeò expônet robur animi, & ſpiritus, quod per ſacram unctionem fidelibus ad ſalûtem tribuitur: id quod latiùs explicabit ab effectibus hujus ſacramenti, qui mox infra ordine exponuntur. Sed hujus divini roboris, & fortitudinis, quæ hoc ſacramento confertur, exemplum longè omnium maximè illuſtre, Parochus facilè ab Sanctis Apoſtolis

ſumet

sumet, qui antea quidem imbecilles, timidique clausis ædibus se continêbant; sed ubi postea die Sacro Pentecostes Spiritum Sanctum accepêrunt, facti sunt viri fortes, constantissimi, atque ad omne certâmen, & pugnam pro fidei confessione, & propagatione expeditissimi; ita, ut summâ apostolicæ virtûtis contentione universum orbem terrarum brevi, etiam repugnantibus importunissimis hostibus, Evangelii luce collustrârint.

Atque hujus quidem generis copia ex aliis quoque locis magna Parocho concionanti suppeditabitur.

Observabit item Parochus, dum Sanctæ Confirmationis formulam Episcopus profert, ab eo simul imprimi fronti ejus, quem confirmat, signum crucis.

Primùm eo ritu ostendet christianum hominem non verecundiâ, quæ in fronte maximè elûcet, neque metu, nec periculo perterrêri unquàm debêre, quin palàm, & liberè Jesum Christum ignominiosè pro peccatis nostris cruci affixum, & omnem ejus doctrinam confiteatur. Deinde appositè etiam expônet illo Crucis signo, quo Christus Dominus triumphavit, christianum hominem, in cujus fronte, dum confirmatur, illud imprimitur, in numerum adscrîbi fortissimorum ejus militum.

Hunc instruendi populi locum is nactus, admirabiles etiam alios hujus sacramenti effectus diligenter expônet, illum præsertim, qui ad Spiritus Sancti septem dona pertinet, de quibus tum alii Patres, tum S. Ambrosius ita loquitur.

Sequitur spiritâle signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, atque virtûtis, spiritus cognitionis, atque pietatis, Spiritus Sancti timôris, septem quasi virtûtes spiritus. Et omnes quidem virtûtes ad spiritum pertinent, sed istæ quasi Cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quàm pietas? Quid

Quid tam principale, quàm cognitio Dei? Quid tam principale, quàm virtus? Quid tam principale, quàm timor Dei? Sicut timor sæculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo. Istæ sunt septem virtûtes quando consignâris. Nam, ut ait Apostolus Sanctus, Quia multiformis est sapientia Domini nostri, & multiformis sapientia Dei, ita multiformis est Spiritus Sanctus, qui habet diversas, variasque virtûtes.

Cum dona Spiritus Sancti Parochialibus suis expônet, illos etiam ad id inflammabit, ut ea cum frequenter, tum verò quo tempore hoc sacramentum ab Episcopo ministratur, animo, menteque reputent, ac simul videant in tantâ divinorum munerum gratiâ progressiones suas. Repete, inquit Sanctus Ambrosius, quia recepisti signaculum spiritâle, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii, atque virtûtis, spiritum cognitionis, & pietatis, spiritum sancti timôris: & serva, quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut apostolicâ lectione didicisti.

In Pentecost. præcipuè hoc sacramentum ministrari ostendet, quoniam eo maximè die Apostoli Spiritûs Sancti virtûte roborati, confirmatique sunt: cujus facti recordatione fidêles admonêbit, quæ, quantaque mysteria in Sacrâ Confirmatione cogitanda sint.

Episcopus eum leviter in maxillâ cædit, quem chrismate confirmat. Hunc ritum Parochus ita docêbit, ut sciat homo Christianus se jam militem esse, cujus pugna, & victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis: deinde se in Christianâ militiâ constitûtum esse, in quâ non hujus vitæ jucunditates, & commoda quærat, sed incommoda potius, atque adeò mala multa patienter ferat: ac præterea intelligat officii sui esse, in acie stare, telaque undè veniant observare, ita, ut quamvis illis telôrum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur.

Patri-

Patrinum hoc etiam sacramento adhibêri ostendet, ut sciat Christianus, se Spiritus Sancti gratiâ perfectionem ita esse assecûtum, ut sibi ipse tamen non fidat, sed aliorum, qui vel ætate, vel disciplinâ provectiores sunt, monita, consiliaque libenter audiat, atque amplectatur.

Postrêmò pacem Confirmatis dari ostendet, ut intelligant se gratiæ cælestis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecûtos esse.

Ex iis omnibus denique ritibus, facilè parochialibus suis demonstrabit, quanti momenti sit esse Confirmatum.

Jam verò sacramentum hoc, ut mox supra demonstratum est, cum sit res sanctitatis plena, per quam fidelibus divîna munera tam largè impertiuntur, Parochus id vigilantissimè studêbit, ut sui parochiales, qui nondum confirmati sunt, nullam in eo suscipiendo negligentiam committant; utque præterea piè, religiosèque suscipiant.

Si quos autem negligentes animadverterit, eos paternâ objurgatione id valde cohortabitur, ut ad Confirmationis Sacramentum suscipiendum, datâ præsentis Episcopi ministrationem celebrantis opportunitâte, festînent; aliòquin illis timendum valde esse demonstret, quòd, cum potuerint, in re salutari tàm negligentes extiterint. Atque in Confirmationis Sacramento suscipiendo negligentes, ut Decreto Provinciali, ex Canone Rhemensi cavêtur, Canonicis subjacent disciplînis. Et præterea parentes, quorum negligentiâ id factum est, ex libro Pœnitentiali pœnitentiam olim egisse annos tres appâret.

Præparatio ante ministrationem Sacramenti Confirmationis.

PAucis ante ministrationem diebus, Parochus, in cujus Parochiâ hujus Sacramenti ministratio indicitur, primò orationem publicam instituet, ut sui divînæ gratiæ dona uberrimè recipiant; Distinctè per familias notabit, qui hoc Sacramentum nondum susceperint, indicemque illorum rectè, atque ordine conficiet. D 4 Pue-

Pueros descrîbet, qui annum octavum attigerint; quam ætatem si quos rationis usu, devotionisque studio antecedere fortè viderit, eos quoque in numero eorum adscrîbet, qui Confirmationis Sacramento initientur, ut Spiritus Sancti virtûte confirmati accêdant etiam ad præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Qui in puerîli ætate confirmati fuerint, ii, ut, ætate procedente, à parentibus eà de re fiant certiores, Parochus moneat.

Ægrotos præterea nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo denuntiabit, ut ne, ingravescente morbo, sinè hoc Sacramento decêdant.

Notandis nominibus eorum, qui Confirmationem suscipient, hoc curabit, ut, siqui turpe nomen habent, illud mutent, sumantque in Confirmationis Sacramento nomen Sancti alicujus, quem in cælis patrônum deligant, & ad imitationem sibi propônant ad piè agendum, illius virtûtum exemplis, recordationeque excitati, quam in sententiam dicet etiam, ut supra in Sacramento Baptismi demonstratum est.

Præmonêbit, ut nemo excommunicatus, interdictus, in gravi, publicoque peccato jacens accêdat ad hoc Sacramentum; neque qui in Paschate communione abstinuerit.

Illud verò maximè hortabitur, ut hoc Sacramento cum Spiritus Sancti gratia uberrimè conferatur, ad eam consequendam se jejuniis, eleemosynâ, qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis, & operibus parent: atque in primis frequentiori, & ardentiori religiosæ orationis studio devôtè se se exerceant, exemplo Sanctorum Apostolorum, qui, dum expectarent Spiritum Sanctum, perseverantes erant in oratione, & jejunio, sed efficiet saltem, ut pridie diei Confirmationis jejûnent, qui possunt.

Hoc verò diligenter curabit, ut de peccatis confiteantur, confessique ad Confirmationis Sacramentum accêdant; tum confirmati sacram Communionem sumant: qui ordo communionis post confirmationem sumendæ, si commodè

ſervari poterit, antiquæ conſuetudini erit accommodatus; ſervent certè illi, qui ad id rectè præparati, tunc primùm ſacram Communionem perceptûri ſunt.

Confeſſionis autem præſtitæ teſtimonium ſcriptum ei præbeant, cui cura hæc commiſſa eſt.

Præmonêbit item, ut omnes manè jejûni illud ſuſcipiant; quemadmodum & jejûnus Epiſcopus miniſtrat.

Ut mares, tam qui Confirmationem ſuſceptûri ſunt, quàm qui ad eam patrini adhibebuntur, veſtîtu ſimplici, moderato, & modeſtiæ chriſtianæ conſentaneo accêdant, & arma item depônant.

Idem fœminæ præſtent, ita ſcilicet, ut ne fuco, & pigmentis facie illitâ, non immoderato capitis, corporiſve ornatu accêdant, ſed ita ut, cum capite rectè velâto ſint, tum reliquo veſtîtu, cultuque ejuſmodi, qui chriſtianas mulieres, graveſque decet.

Ut omnes, qui confirmandi ſunt, accêdant non incompoſitis, atque uſque adeò promiſſis capillis, ut pænè frons obtegatur. Neque rurſus fronte ſint aut fortè madidâ, aut ſordibus conſperſâ. Pridie igitur diei, quo Confirmationem ſuſcipient, caput lavent, aut mundent; capillos item tondêri curent.

De modo procedendi ad ſumendum Confirmationis Sacramentum.

CONſtitûtâ die, bene manè, omnes & mares, & fœminæ cum ſuis patrinis in Eccleſiam ſuam Parochialem ad ſignum campanarum conveniant, ut horâ tertiâ confirmari poſſint, inde, præeunte Parocho, parochialique Sancti Patrôni vexillo, ut moris eſt, prælato, ad Baſilicam Metropolitanam, aut Collegiatam, aliamve, ubi hoc Sacramentum Archiepiſcopus miniſtraturus eſt, bini ordine procêdant.

Quam verò diem, & Eccleſiam certam Archiepiſcopus ad hoc Sacramentum miniſtrandum unicuique viciniæ parochiali conſtituerit, id ita cuncti ſervent, ut nè quiſquam, neque

neque aliâ die, neque in aliâ Ecclesiâ illud sumat, nisi fortasse constitûtâ eâ die necessariò impedîtus sit.

Venient autem primò in locum, scribendis illorum, qui confirmandi sunt, schedulis præfinîtum. Eoque loci testimonium præstitæ confessionis Sacerdotibus, acolythisque dabunt huic curæ præfectis. Deinde, ut experiundo cognoscatur, an & ipsi, qui confirmandi sunt, & patrini eorum, quos rudiores esse probabile sit, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum rectè norint, Parocho in primis, & reliquis deputatis memoriter reddant: nisi tamen id in confessionis sacramento præstitisse, in testimonio ipsius confessionis appareat.

Idem fœminæ exequentur loco decenti, sibi potissimùm, separatimque constitûto.

Ubi hæc fidei rudimenta reddiderint, accipiant singuli statam suscipiendæ Confirmationis schedulam: inde ad suam quisque Ecclesiæ partem, fœminæ ad Septentrionalem, mares ad Australem reversi, piis precationibus, meditationibusque parent se ad Sacramentum hoc devotè, rectèque suscipiendum.

Quam schedulam ubi acceperint, alium patrinum, quàm in ea notatum, nemo sibi quisquam eligat. Si verò quis ob causam eum mutet, schedulam item aliam sibi conficiendam statim curet, in qua is scribatur.

Quibus locis fidêles conveniunt, ne fusi vagè, varièque dispersi sint, dum morantur: sed omnes simul, & qui confirmandi sunt, & patrini decenter se habebunt; ut sese piè cum silentio præparent, precibusque vacent: aut etiam unà cuncti litanias recitent; quod ut verè præstetur, Ecclesiæ Presbyteri, ac ministri diligenter curent.

Provideatur etiam, ut omnes Missæ sacrificio devôtè intersint.

Dum ad invocandum Spiritus Sancti gratiam preces fient, omnes genibus flexis devôtè orabunt, in mysterii meditatione fixi, quod peragendum est.

De

De Patrinis.

Qui confirmandi sunt, singuli patrinum sibi adhibent, cujus munus est, filiolum, quem in Confirmatione tenuit, monêre, eique tamquam ducem se præbêre, ut in quotidiano spirituali certamine adversarium vincat: sed & si rudem illum viderit, non solùm fidei Christianæ documentis instruere, verùm etiam ad viam salutis, virtutumque christianarum disciplinam erudîre cohortationibus, atque exemplis, ut in Sacramento Baptismi traditum est.

Quamobrem patrinus is deligatur, qui non solùm Doctrinæ Christianæ institûta, præceptaque teneat, sed etiam qui vitæ piæ exemplo ita se instituit, ut magister, verèque patrinus, ac dux aliis esse possit ad bene agendum, progrediendumque in via Domini.

Nec verò patrinus casu eligendus est, utpote homo quispiam, planè ignôtus, aut verò hospes, & peregrinus, cujus consuetudinem in posterum probabile sit minimè habendam.

Patrinum autem unum duntaxat ad hoc Sacramentum quis deliget; matrinam itidem unam.

Erit patrinus, qui deligêtur, ubi fieri potest, natu major eo, quem sibi filiolum in Confirmatione suscipit, aut saltem id ætatis, ut illius rectè instruendi partes, officiumque præstare queat.

Id denique servabitur, ut, quoniam ita honestatis ratio postulat, neque fœminis mares, neque rursus fœminæ maribus, patrini, vel matrinæ adhibeantur. Neque item minôres quatuordecim annis, nisi quando necessitas aliter cogit, neque pater item, aut mater: neque vir, aut uxor.

Ne Patrinus, qui in Baptismo, vel Catechismo adhibitus est, idem in hoc Sacramento adhibeatur, nisi necessitate cogente.

Nemo autem neque in hoc etiam Sacramento patrinus sit, qui excommunicationis, aut interdicti vinculo irretîtus tenêtur:

tur: quive item Paschali tempore proximo sacram Communionem non sumpsit: nec verò præterea, qui in gravi, publicoque peccato jacet.

Ne item patrinus sit, qui sacro Chrismate nondum confirmatus est: sed neque quo die quis confirmatus est, eo ipso die alios confirmandos offerat. Idemque in fœminâ servetur.

Nemo Patrinus, Matrinave eodem die plures in Confirmationis Sacramento teneat, quàm unum, nisi ex Archiepiscopali facultate.

Hæc Parochus præmonêbit, & cætera item, quæ pro temporum ratione Archiepiscopus præmonenda censuerit litteris eo nomine editis.

De Ecclesia, & apparatu ad Confirmationis ministrandæ usum.

Ecclesia (quæ ampla, ut commodè capiat multitudinem fidelium, qui confirmandi sunt, & cunctis viciniis Parochialibus commoda esse debet) distincta sit item ad præscriptum tabulâto, telâve, ut mares à fœminis separatim maneant, neve ordine dispositi è conspectu, regioneve sint.

Collegiata quoque rectè erit, aut saltem ejusmodi, in qua aliquis cleri numerus sit, è quo Sacerdotes, acolythique deligi possint, qui solemni huic actioni ministerium, operamque navent.

Parochus, Præfectusve Ecclesiæ, ubi solemnis hujus Sacramenti ministratio celebrabitur, eam piè ornâbit ad præscriptum, præsertimque Altare majus, ubi ministrari solemne est.

Signum item campanarum solemne dari curabit, tum vesperi ante ad significandam hujus ministerii celebritatem, tum manè, ut ad conveniendum in tempore omnes excitentur.

Apparentur autem, atque instruantur commodo loco, & decenti rebus ad scribendi usum necessariis mensæ duæ, una in qua marium, altera in qua fœminarum nomina ordine ex-

exſcribantur. Eæ verò ita diſtinctè, atque adeò ſeorſum collocabuntur, ut earum ſitus nullam commeantium permixtionem, confuſionemve pariat.

Res porrò, quæ ad miniſtrandi hujus Sacramenti uſum neceſſariæ apparabuntur, erunt hæ.

Indumenta ſacra tum Archiepiſcopi, tum aſſiſtentium.

Vaſculum chriſmatis in pelviculâ ritè, & decenter accommodatum.

Lana goſſipina, ſeu bombacium ad uſum abſtergendæ frontis ſacro Chriſmate illitæ, cujus bombacii tanta copia parabitur, quanta ſatis videbitur pro ratione multitudinis fidelium ad Confirmationem ſuſcipiendam convenientium.

Mantilia duo uſui eccleſiaſtico addicta, unum ad abluendam, alterum ad abſtergendam frontem.

Pelves duæ, una ad bombacium colligendum, altera ad manus lavandas.

Medulla panis ad abſtergendas manus, & manutergium.

Cerei duo, qui præferentur Archiepiſcopo Sacramentum hoc miniſtranti.

Vas aquæ ad alterum mantîle madefaciendum.

De Sacerdotibus, aliiſque miniſtris ad ſolemnis hujus miniſtrationis uſum adhibendis, eorumque officio.

Eligentur Sacerdotes, aliive ſacri miniſtri moribus graves, qui ſchedulas eorum ſcribant, qui confirmandi erunt, qui huic officio ſatis ſint.

In his potiſſimùm unus eligatur, cui, ut ſuprà, recitent fidei rudimenta, qui confirmandi ſunt, & alius qui ſchedulis ſubſcrîbat.

Nemini ſchedulam ſumendæ Confirmationis dabunt, qui patrinum, aut ſi fœmina, quæ matrinam ſecum non habeat.

Patrinum, & Matrinam adhibêri non ſinent, niſi iis conditionibus, ut ſupra, demonſtratis.

Et verò, anteàquàm ſchedulam dent, hæc ſedulò vidêbunt;

bunt; an confirmandi sint ætate præscriptâ, an confessi, anque item habitu decenti; & omnino an aliquid habeant contra quam præscriptum est. Instruent autem, ubi hæc viderint, ad præscriptum.

Ubi brevi instruxerint, tum demum Confirmationis suscipiendæ schedulam dabunt, in qua nomen ejus, qui confirmandus est: patris item, & cognômen, parochia, aut locus notabuntur: patrini item, & ejus patris nomen, & cognomen, parochia, locusve.

Si nupta erit, pro patris nomine, ei adscribent nomen conjugis, cognomen verò familiæ, in qua nata est, & mariti item. Idem de matrinâ nuptâ servabitur.

Nomina autem singulorum, utpote & ejus, qui Confirmandus est, & patrini à capite lineæ ponantur.

Formula Schedulæ.

N. filius N. Parochiæ S. N.

Patrinus N. filius N. Parochiæ S. N.

Si matrimonio juncta erit, formula adhibebitur hæc.

N. Uxor, N. Parochiæ &c.

S chedulis singulis subscribêtur, ut supra.

Schedulæ singulæ singulis dentur.

P ræpositus Ecclesiæ, in qua solemnis hæc actio celebratur, aliusve qui dignitate præstet, ad vasculum chrismatis, & ad librum Pontificalem minister Archiepiscopo præsto erit veste indûtus, quâ in choro ad divina officia utitur.

Minister alter adhibebitur, qui schedulas colligat, iniisque scripta nomina Archiepiscopo ordine recitet voce, quæ audiatur.

Is hæc animadvertet, ut schedulæ ex formulâ rectè confectæ sint: ut præterea, ne patrinus alius adhibeatur, quàm in schedula notatus; itidem de matrina: ne item qui accêdit, alterius Parochiæ sit, quàm ejus, quæ tum ad Confirmationem vocata est.

Ne quis item alterius Diœcesis, sinè facultate sui Episcopi ad

ad præſcriptum Conc.Provinc.4. Nec verò ſchedulas manu alterius ſcriptas, quàm ejus, cui cura potiſſimùm data eſt, accipiet: ut certum, exploratumque eſſe poſſit de iis, qui fidei rudimenta recitârint.

Singulas demum ſchedulas, ut accêpit, ordine in filum acu infîget, quem paratum habêbit.

Præſto erunt præterea alii miniſtri duo, quorum erit cæremonias ritè curare: ut ſcilicet, qui confirmandi ſunt ſiniſtrum pedem ſupra dextrum ſuorum Patrinorum ponant, manibus piè junctis ſint, & recti ſtent.

Vidêbunt item cetera, ut ſerventur, quæ de veſtîtus modeſtiâ præſcripta ſunt.

Obſervabunt etiam ut patrinus, matrinave unum, unamve, nec verò plures in Confirmatione eodem die teneat, niſi ut ſupra.

Aderunt item miniſtri alii duo: unus, qui ſigillâtim, dum Archiepiſcopus confirmat, ordine abſtergat bombacio frontes eorum, qui confirmati ſunt: tum idem bombacium, quod ad abſtergendi uſum adhibuerit, in pelvim ab acolytho manibus ſuſtentatam ponat, ut deinceps comburatur, combuſtumque projiciatur in ſacrarium: Alter, qui mantîli madido abluat frontes confirmatorum, & mantîli altero abſtergat.

Cavêbit autem, ut ne guttula quidem aquæ è mantîli madido in terram defluat.

Ambo hi miniſtri moribus, & ætate graves erunt, modeſtiæque exemplis probati, ii præſertim, qui ad fœminarum Confirmationem adhibebuntur.

His præſto erunt itidem clerici duo, unus, qui pelvim geſtet ad colligendi bombacii uſum: alter, qui alteram pelvim habeat mantîlis madefaciendi causâ ad frontes abluendas.

Alius item, præter hos, adhibebitur, cujus cura erit confirmatos in ordine continêre, dareque operam, ut ne quiſquam inde diſcêdat, niſi cunctis, qui in ordine ſunt, confirmatis.

Quos

Quos ubi confirmatos viderit, inde ad certum locum, cappellamve dedûcat, ubi litaniis, aliisque orationibus sanctè precentur, quoad Archiepiscopus, precibus ritè peractis, omnes solemni benedictione dimiserit.

Idem de fœminis confirmatis exequêtur, illas etiam deducendo ad certũ locum à maribus separatũ, ubi itidem orent.

Sacerdos prætereа præsto erit, qui, prout parochiarum ordo postulat, in Ecclesiam introdûcet eos, qui confirmandi sunt. Proinde ex schedulà, quam in manu habêbit, ordine parochiarum fidêles ad Confirmationem evocabit, singulisque Parochiis locum constituet, viris quidem distinctum à fœminis.

Quo in officio ita aget, ut in tempore introdûcat, ne ministrationi mora interponatur.

Acolythi præterea aderunt duo, qui Archiepiscopo ministranti cereos accensos duos præferent: ostiarii duo, pluresve, qui januas custodient, ut ad Confirmationem vocati ordine ingrediantur.

In Confirmatione hæc, ut infrà, servabuntur.

PRimùm in Ecclesiam introducti, qui confirmandi sunt, mares, ut dictum est, à parte Australi, fœminæ à Septentrionali manêbunt.

Genibus item flexis, manibus ante pectus junctis, orabunt.

Omnes præterea alii, quicunque sacro illi ministerio adsunt, silentio sancto utentur, sanctèque precabuntur.

Summâ animi attentione spectabunt solemnis mysterii celebritatem.

Mente secum reputabunt illa Spiritus Sancti dona, quæ Sacramenti hujus virtûte fidelibus impartiuntur.

Tacitâ etiam meditatione videbunt, quantopere ipsi iis donis indigeant.

Accersiti autem primò mares, deinde fœminæ cum suis quique patrinis, matrinisve, gravi incessu, non turbulento, & celeri, præproperove gressu, manibus junctis, ad Confirmationem

tionem accêdent, locoque, & ordine ad præſcriptum monitôris conſiſtent.

Archiepiſcopus cum propiùs ad Confirmandum accêdet, ordine quiſque ſiniſtrum pedem, ut ſupra dictum eſt, ſupra dextrum patrini, aut ſi fœmina eſt, matrinæ ponet, manibus devotè junctis. Quo in ſtatu permanêbit, quoad frons ablûta, abſterſaque erit. Nemo autem frontem ſacro chriſmate illitam attingat, ne crucis quidem causâ, niſi priùs ablûtam, atq; abſterſam. Inde poſtea omnes ſimul ordine ad conſtitûtum locum venient, ubi ſanctè precentur, ut ſupra dictum eſt, uſque ad ſolemnem Archiepiſcopi benedictionem.

Poſt Confirmationem, quæ agenda ſunt.

Impertitâ Confirmatis ſolemni benedictione, unuſquiſque Parochus curet Parochiales ſuos reducere ad Eccleſiam ſuam ordine, quo venêrunt, ubi hæc moneat.

Ut recens Confirmati, ob Sacramenti reverentiam, eo ſaltem die à frontis lotiône abſtineant.

Ut pro pietatis ſtudio Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum ſingulis ſeptem diebus ſepties, qui litterarum rudes ſunt recitent: Officium autem de Spiritu Sancto ſepties itidem, qui legere norint, memores ſeptem cæleſtium donorum, quæ illius ſacramenti virtûte accepêrunt.

Utque ſolliciti ſint in iis religiosè conſervandis.

Ut anniverſarium ſtatum illum diem, quo confirmati ſunt, religioſiùs ſinguli pietatis officiis, & precibus colant: confeſſique Sacram Euchariſtiam ſumant, ut benigniſſimo Deo gratias agant de donis acceptis.

Eum confirmationis ſuæ diem ob eam cauſam certo libro adulti notent: itidemque faciant parentes eorum, qui pueri confirmati ſunt. Cognationem quoque ſpiritualem denuntiabit, quæ contracta eſt inter confirmatum, parentes ejus, & patrinum.

Denique ad præſcriptam formulam referet in librum, quem paratum habêbit, nomina & confirmatorum, & patrinorum, matrinarumve. E DE.

DE SACRAMENTO SS.MÆ EUCHARISTIÆ

Rubricæ, ſeu Inſtrúctiones.

Quæ Parochus Populum doceat.



NIhil habet Eccleſia hoc ſacramento dignius, nihil admirabilius, nihil ſalubrius, nihil ſanctius. Continetur enim in eo præcipuum, & maximum Dei donum, & ipſe omnis gratiæ, & ſanctitatis fons, auctorque Chriſtus Dominus.

Parochus igitur, ut populum ſibi commiſſum idoneum reddat ad maximos, uberrimoſq; hujus ſacramenti fructus percipiendos, ſingulis diebus feſtis, qui ſcilicet frequentem illius communionem proximè antecêdent, atque adeò ſæpiùs, prout opportûnum viderit, illum accuratâ, piâque concione docêbit, planèque explicabit fidem, doctrinam, excellentiamque hujus præſtantiſſimi ſacramenti: quo item modo ad illud ſumendum accêdant, quàm admirabiles itidem illius fructus ſint, quanta vis, ac dignitas: & denique ubi ſumpſerint, quo modo gratiam conſervent.

Hos autem fructus enumerare poterit.

Gratiam in animam influit, cum purè, & ſanctè ſumitur: Qui mandûcat, inquit Dominus, meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui enim pietatis, & religionis ſtudio affecti hoc ſacramentum ſumunt, Chriſti corpori tamquam viva membra inſeruntur, ſi quidem ſcriptum eſt: Qui mandûcat me, & ipſe vivet propter me.

Animam alit, atque ſuſtentat, quoſque uſus corpori panis,

nis, & vinum adfert, eos omnes animæ falûti, & jucunditati, ac meliori quidem, ac perfectiori ratione, Eucharistiæ sacramentum præbet.

Vires animæ addit, efficitque, ut spiritus divinarum rerum delectatione magis commoveatur, virtutibus augeatur, ac divinè corroborêtur.

Venialia peccata hoc etiam sacramento remittuntur: ut meritò dicat S. Ambrosius, panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis.

Vires præbet, ut à criminibus fideles puros, & integros, atque à tentationum impetu incolumes se conservent. Ac præterea tamquam cælesti medicamento animam præparat, ne alicujus mortiferæ perturbationis venêno facilè infici, & corrumpi queat.

Concupiscentiæ ardôrem debilitat, dum charitatis igne animos fidelium vehementer inflammat.

Postrêmò, ut uno verbo dicatur, summam vim habet ad æternam gloriam comparandam, ejus videlicet gratiâ, dum hanc vitam fidêles degunt, conscientiæ pace, & tranquillitate perfruuntur: deinde ejus virtûte recreati, non secus, atque Elias, qui subcineritii panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Oreb, cum ex vitâ emigrandi tempus advenit, ad æternam gloriam, & beatitudinem ascendunt.

De frequenti sacræ communionis usu.

AD saluberrimum igitur hujus sacramenti frequenter sumendi usum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit, nascentis Ecclesiæ institûtis, ac exemplis, & sanctorum patrum omnium consentiente doctrinâ, ut ex Catechismo Romano discere poterit, & sententiâ œcumenicæ Synodi Tridentinæ, quæ optaret quidem fidêles in singulis Missis, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare. Curabit certè, ut, præter Paschatis communionem, quæ Ecclesiæ præcepto necessaria est, saltem in præcipuis solemnitatibus, ve-

luti die Natali Domini, Epiphaniâ, Pentecoste, in diebus item festis majoribus B. M. V. communicent.

Crebris præterea monitis illud, quod Beatissimus Silverius Pontifex statuit, in consuetudinem revocare studêbit, ut, qui sæpiùs non communicant, in Quadragesimâ saltem Dominicis diebus Corpus Domini sumant, & die item Cœnæ Domini ex antiquo institûto, ac præterea in Adventu itidem præstent.

Eam præterea consuetudinem in Parochia sua introducere curâbit, ut quoties quis iter longum, aut infestum, remque arduam, & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur, qui item aliquâ gravi perturbatione, vel ex filiorum, conjugisve obitu, vel ex bonorum amissione, vel ex aliâ re adversâ affligitur, sacram Communionem confessus suscipiat. Idemque faciat, itinere, vel negotio difficili, quod susceperit, confecto; vel quocunque beneficio accepto, gratias Deo actûrus hujus sacramenti sumptione, in quo præcipua quædam ratio inest, quâ Deo pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam piè referamus.

Curâbit item, ut mulieres proximè paritûræ hoc ipsum præstent, ac præterea, cum primùm à puerperio ad Ecclesiam accêdent.

De custodia Sanctissimæ Eucharistiæ.

Omnem etiam maximam diligentiam, curam, summumque studium Parochus in eo ponat, ut, cum ipse tremendum hoc Sacramentum, quâ debet reverentiâ, debitôque cultu tractet, custodiat, & administret; tum etiam populus sibi commissus religiosè colat, sanctè, frequenterque suscipiat.

Sacrosanctam Eucharistiam, ut decentissimè fieri potest, in Altari Majori custodiat, & asservet.

Ad custodiendi, asservandique usum habêbit Tabernaculum ad præscriptam rationem factum, quod quidem clave, quam apud se tenêbit, neque Clerico committet, bene clau-

sum

ſum habêbit; ne quod Eccleſiæ, & Chriſtiano populo datum eſt ad ſalûtem, maleficorum manus, Diabolo operante, ad perniciem abutâtur: id quod etiam veteri canone cautum eſt. Aliôqui ſi eâ in re negligentiam ipſe commiſerit, graves ſibi pœnas ex canonum diſciplinâ propoſitas eſſe meminerit.

Ejus ornatus exterior, & veſtîtus interior, & oſtiolum erit ad præſcriptam formam.

Præterea tabernaculum ipſum aptè, rectè, & decenter, firmiterque collocabitur, fixumque Altari inhærêbit: conopêo decenti operietur, atque ab omni aliâ re vacuum erit: neque præterea armarium ullum, etiam ſubtus habêbit.

Pyxides item habêbit tanto Sacramento dignas, ex canone, & ad præſcriptum.

Lampadarium ſit, in quo lampades accenſæ ſemper colluceant, ſique non plures, una ſaltem, in conſpectu Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. Lumen verò lampadum oleo olîvæ nutrietur; nec verò alterius generis adhibeatur, niſi quibus locis Archiepiſcopus ob eam cauſam conceſſerit, quia nullum ejus generis habêri poteſt.

Sanctiſſimæ autem Euchariſtiæ, pro parochiæ magnitudine, & communicantium multitudine, particulas opportuno tempore habêbit, ſed quinque ſaltem perpetuò cuſtodiet in pyxide.

Eas autem octavo quoque die ad ſummum renovâbit, præſertim quintâ quaque feriâ, ſi commodum erit, in qua Chriſtus Dominus hoc tantum Sacramentum inſtituit; hoſtiæ autem adhibeantur recentes, & à viginti diebus ad ſummum confectæ. Id verò etiam præſtabit, ut, ubi recentes conſecraverit, veteres primò miniſtret.

Qui ad Sacram Communionem admittendi ſunt.

OMnes fideles ad Sacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis, qui juſtâ ratione prohibentur, qua de

re, quæ à ſacris Doctoribus traduntur, cognoſcere ſtudeat, ſed hoc loco hæc ſummâtim monentur.

Non admittuntur ad communionem hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, interdicti, publicè criminôſi, manifeſtèque infâmes, ut meretrîces, publici concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphêmi, & alii id generis publicè facinorôſi homines. Atque iſti quidem, ſi ad pœnitentiam, & communionem admiſſi, poſtea in eiſdem peccatorum ſordibus verſabuntur, ad hujus Sacramenti perceptionem rurſus ne facilè admittantur, quoad ipſe Parochus, qui illorum curam gerit, eos vitam, & mores re ipſâ emendaſſe perſpexerit. Occultos verò peccatores, ſi occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem ſi publicè petant, & ſinè ſcandalo ipſos prætere îre nequeat.

Reis capite damnatis in tempore miniſtrabit; aget verò cum judice, magiſtratûve, ut, quo die illi Corpus Domini ſumpſerint, ne eo die ob reverentiam afficiantur ultimo ſupplicio.

Amentibus præterea hoc Sacramentum non miniſtrabit, quamvis, ſi antequam in inſaniam inciderint, piam, & religioſam animi voluntatem præ ſe tulerint, licêbit in fine vitæ, ex decreto Concilii Carthaginenſis, modò vomitionis, vel alterius indignitatis, & incommodi periculum non ſit; licêbit etiam, ſi quando ad ſanitatem redeunt, & devotionem oſtendunt, dum in eo ſtatu manent, ſi idem periculum abſit.

Pueris item, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, & guſtum habent, Sacram Euchariſtiam non miniſtrabit.

Nec verò grandiuſculis præbêbit, qui tunc primùm illam ſumere voluerint, niſi aliquot antè diebus eos examinârit, atque inſtruxerit de vi, & ratione hujus tanti Sacramenti. Id verò quò diligentiùs præſtet, in Quadrageſima per ſingulas parochiales familias delectum habêbit puerorum,

rum,

rum, atque adolescentum, qui primùm in Paschali celebritate proximâ sacram Communionem sumptûri sunt. Ac præterea his ipsis omnibus in singulas Quadragesimæ hebdomadas certos præstituet scrutinii dies, quibus illos non solùm accurâtè examinet, sed instruat quàm diligentissimè.

De præparatione animi.

Populum etiam docêbit, quâ præparatione, & quantâ animi religione, ac pietate, quàm supplici mente, & humili etiam corporis habitu ad illud sumendum accedere debeat: quantaque rursus illis supplicia parata sint, qui indignè illud suscipiunt.

De qua quidem animi præparatione, hæc potissimùm tradet.

Primùm fidêlis unusquisque ita paratus, & instructus esse debet, ut hujus Sanctissimi Sacramenti fidem integram teneat, rectèque discernat mensam à mensa, hanc sacram ab aliis profânis, cibum à cibo, cælestem hunc panem à commûni, rectèque sciat in communione, quæ sub unâ tantùm specie à laicis sumitur, integrum Corpus Domini etiam cum Sanguine sumi: & cum frangitur hostia consecrata, totum Christi Corpus in qualibet parte fractâ continêri.

Conscientiam præterea suam scrutêtur diligentissimè, ne fortè exitiâli aliquo peccato contaminatus sit, ut priùs contritionis, & confessionis medicamento eluatur. Atque omnem præterea adhibeat diligentiam, ne quid ei desit ad summam animi integritatem, & innocentiam.

Omnem distractionem mentis, animîque somnolentiam depellere studeat.

Exquîrat tacitus à se ipso cum timôre, an illud Petri Apostoli sibi usurpare liceat: Domine, tu scis, quia amo te.

Videat etiam, num pacem cum aliis habeat, num proximos verè, atque ex animo diligat.

Ab omni desiderio, delectatione, omnique sensus amore, quo divinæ charitatis studium languescit, purum, inte-

grumque animum conservare studeat, sensusque omnes severitate quadam moderatâ cohibêre, etiam in rebus licitis.

Sanctis item meditationibus ad Dei amorem inflammet animi sui voluntatem, quam pietatis operibus etiam, atque etiam sæpè confirmet.

Desiderium cælestis hujus cibi sumendi excitet duplici consideratione, quarum una est, ut altissimi hujus Sacramenti excellentiam, admirabilesque fructus, salutaresque utilitates meditetur: altera est, ut tacitus etiam cogitet spiritualem inopiam suam, spiritalesque suas necessitates.

Humilitatem autem, & reverentiam excitabit, ita ut secum mente reputet, totum Christum ibi esse, quem in cælo Angeli adôrant, ad cujus nutum columnæ cæli contremiscunt, & pavent, cujus gloriâ plenum est cælum, & terra. Deinde cogitabit, quàm indignus ipse sit, cui tantum, divinumque beneficium à Domino tribuatur. Atque his quidem, aliisque meditationibus ita se parabit, ut & sancto desiderio, & summâ reverentiâ, humilitateque ad sacram mensam hujus pabuli cælestis accêdat.

In communione ipsâ, ut sanctè, religiosèque fideles animo versentur, hæc docêbit Parochus, & opportunè præmonêbit.

In primis quò ardentiùs sanctum amôrem, qui in sacrâ communione requiritur, fidêles in se excitent, illos docêbit, quo modo, eo temporis momento, quo sacram Eucharistiam sumunt, passionem Christi Domini, ex cujus vulneribus pius ille amor haurîtur, religiosè meditentur; tum etiam considerent præsens illud beneficium, in quo tantâ cum dignatione, immensâque charitate Christus Jesus se communicat, & intimè illis se conjungit.

Deinde, ut spem eorum inflammet, demonstrâbit, tunc temporis illis considerandum in Christo Domino esse quidquid piam christianorum fiduciam, spemque excitare potest; cum ipse sit & omnipotens, qui omne bonum confer-

re

re potest, & summè benignus, qui magis desiderat conferre nobis sua dona, quàm nos recipere, & sapiens, qui benè novit, quæ nobis & expediunt, & opus sunt ad salûtem.

Ac præterea ad hoc illos instruet, ut in ipsâ sanctissimâ Communione toto corde, omnîque intimi animi pietate Deo gratias agant de tanto beneficio, infinitâque charitate, quâ erga populum christianum usus est.

De præparatione corporis.

NEque verò animi solùm, sed etiam corporis præparatione opus est. De qua hæc Parochus propônet.

Ut jejûni fidêles ad sacram Mensam accêdant; ita ut saltem dimidiâ antecedentis diei nocte, usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipiunt, nihil omnino comederint, aut biberint, etiamsi postea dormierint, quàm comedêrunt.

Sed præstantissimi hujus Sacramenti dignitas hoc postulat, ut pridie illius diei, quo illud sument, jejunium celebrent, aut saltem parciùs cœnent: & quod fidêles aliquando facere consuevêrunt, in orationibus, piisque meditationibus partem noctis vigilent, aut saltem prolixiùs orent, quàm aliàs soliti sunt.

Postulat etiam, ut, qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies à concubitu uxôrum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui propositionis panes cum à Sacerdote susceptûrus esset, se, suosque pueros ab uxôrum consuetudine puros jam tres ipsos dies esse professus est: & ex canone etiam veteri, qui tres, vèl quàtuor, aut etiam octo dies abstinentiæ in hoc genere propônit.

Quod ad corporis habitum pertinet, quem in sacrâ Communione adhibeant, hæc Parochus præmonêbit, & curâbit.

Ut summâ reverentiâ, omnique humilitate fidêles accêdant, & sumant.

Oculis non vagis, sed in Christi corpus piè conjectis.

Barbæ pilis circa os benè præcîsis.

Ore

Ore supra pannum lineum suppositum modestè porrecto.

Capite non demisso.

Linguâ paululum labrum inferius intus attingente, non tamen extra os prominente, in qua particulam suscipiant; neque linguam ipsam retrahant, priusquam presbyter manum removerit: tum verò caput humiliter demittant.

Ita etiam, ut suspiriis abstineant, quibus particulæ possint excuti.

Manibus pectori admôtis instar crucis, ex veteri fidelium disciplinâ, aut supplicibus, iisdemque nudis.

Pallio, quantum fieri possit, adhibito.

Non birrêtis, pileisve plumâ inaniter ornatis.

Armis depositis.

Toto denique corporis habitu decenti, humili, & modesto, non sordido.

Mulieres non sumptuôsis, non caudatis vestibus, non crinibus inaniter intortis, non fuco, aut pigmentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obtecto, sed ita vestîto, ut ne, præter faciem, quicquam nudum cernatur.

Velo denso benè super faciem demisso.

Omnes autem genibus flexis.

Non pectore, brachiisque scabello innixi; neque birrêto, aut chirothêcis, vel aliâ re super panno collocatâ.

Nihil præterea dabunt.

Nec verò candelâ accensâ utentur, nisi in Paschate.

Omni modestiâ surgent, & à mensa discêdent.

De ministratione Sanctissimæ Eucharistiæ.

HOc institûtum Parochus perpetuò servare studeat, ut, quod antiquissimi ritus est, intra Missarum solemnia, post sanguinis sumptionem, præbeat sacram Communionem: cum tamen nonnunquam accidat, ut etiam extra Missam præbenda sit.

Cum, celebratâ Missâ, sacram Communionem statim mini-

ministrat, vestibus sacerdotalibus, quibus in Missâ usus est, indûtus ministrabit, casulâ tantùm depositâ, & manipulo item.

Si verò alio tempore extra Missarum solemnia, tum superpelliceo, & stolâ rubrâ utitur.

Eum verò ordinem in sacrâ Communione ministrandâ servabit, ut primò Sacerdotibus, siqui aderunt, qui illam sumant, superpelliceo, & stolâ instar crucis ante pectus compositâ indûtis; deinde clericis, pro ordinis gradu, superpelliceo tantùm indûtis; postea verò laicis maribus, tum fœminis, nullo discrimine conditionis habito.

Locis præterea distinctis ministrabit, nempè clericalis ordinis hominibus in gradibus altaris: at laicis tam maribus, quàm fœminis loco remotiori aliquantò ab altari.

Præparatas habêbit hostias, prout numerus est fidelium, qui sacram Communionem suscipient; sed plures etiam, quàm eorum numerus est.

Erunt hostiæ rotundæ, non quadræ, non angulares, recentes, justâ magnitudine, integræ, non fractæ, non incisæ, nec verò dimidiatæ, tamquam fragmenta hostiæ majoris: tales item, ex quibus fragmenta facilè non fiant.

Pyxidem paratam habêbit, quæ pro communicantium numero particulas capiat; nam patênam non adhibêbit, cum ampliùs sex sunt, qui communicant.

Altaria, ubi ministratur, luminibus collucêbunt.

Clerici adsint duo cum superpelliceo, qui pyxidi supposita mantilia sustentent.

Diaconi præterea duo, aut Subdiaconi, vel saltem Clerici, qui purificationem, & mantîle præbeant.

Vinum ad purificationem faciendam, quod album, si fieri possit, adhibeatur; & aqua item, quibus opus sit, utrumque in vasis nitidis, iisque vitreis, vel crystallinis, & ei usui tantùm addictis.

Ne verò ad capiendam eleemosynam, occasione sacræ Communionis, vas expônat, aliôve modo utatur. Quæ

Quæ obſerventur poſt Communionem.

HÆc verò Parochus præterea fidêles monêbit.

Ut, ne poſteaquam ſacram Communionem ſumpſerint, ab Eccleſia ſtatim diſcêdant, ſed permaneant in oratione, quantùm fieri poſſit, quiêto & remôto loco: proindeque certam aliquam precandi rationem illis indicet; rudioribus, ut ter, aut quinquies Pater noſter, & Ave Marîa dicant; aliis, pro eorum captu, Roſarium B. Mariæ Virginis; aliis orationes in Officio ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis diſpoſitas, quæ inſcribuntur Orationes poſt Communionem, & quæ S. Ambroſii ſunt, præſertim indicet, & ante, & poſt Communionem.

Monêbit etiam, ut reverenter glutiant, ut benè ſe purificent, ne ſtatim ſpuant, ſed per quartam ſaltem horæ partem à ſputatione abſtineant. Si verò neceſſitas coget priùs ſpuere, id in loco ſaltem fiat à pedibus prætereuntium remôto.

Ne præterea ſtatim cibum capiant, ſed dimidiâ poſt ſumptam ſacram Communionem, aut ſaltem quartâ horæ parte.

Ut animi cogitationes, ſenſus omnes, & linguam cohibeant, abſtineantque præcipuè eo die à verbis otioſis, cogitationibus inanibus: ſed in ſanctis meditationibus, precibus, divinorum officiorum frequentia, Eccleſiis etiam frequentandis, aliiſque pietatis officiis, atque operibus verſentur.

Ut denique aſſiſtant Chriſto hoſpiti ſanctiſſimis exercitationibus, atque actionibus; à profanis autem negotiis, & ſæcularibus abſtineant: quod ſi non omnino poſſunt, curent tamen à ſanctâ Communionis ſumptæ meditatione, & à ſui intimâ cuſtodia non alienari.

De præparatione, quam adhibêbit Parochus in communione frequentis populi.

CUm dies inſtat Communionis ſacræ frequenti populo miniſtrandæ, pridie illius diei Parochus ſcamna oblonga, & alta, & lata ad formam præſcriptam apparâbit: mappas itidem à ſorde puras, & candidas, quibus illa rectè, ordine-

que

que ſternantur, pro frequentis populi ratione.

Parabit mappam lineam ſubtili textûrâ nullo artificio elaboratam, quæ cubitis tribus longa feratur, ſi opus ſit, ſub pyxide, & manibus miniſtrantis.

Scabella duo decentia, in quibus collocentur vaſa, & cetera ad purificationis uſum.

Mantilia ad ſcabella illa ſternenda.

Intortitia duo, plurave pro ratione diei ſolemnis, quibus lucentibus clerici itidem duo præeant Sacerdotem miniſtrantem.

Clericos parochiæ ſuæ omnes, ſtatâ communionis die, præſentes adeſſe præmonêbit, qui ſuperpelliceo indûti miniſtrantem, pro muneris ſui functione, adjuvent.

Altare unum maribus, alterum fœminis conſtituet, ubi communicent, maximè ſi ingens populi ſacram Communionem ſumentis multitûdo eſt.

Deliget verò in ſacrâ Communione fœminis miniſtrandà, ſi opus ſit, Sacerdotem adjutôrem ſpectatâ integritate, & clericos probatos, qui illum miniſtrantem etiam adjuvent.

Omnibus rectè paratis, veſpere, aut primâ horâ noctis ſignum campanarum ſolemne dabit, quo fidêles, qui ſacram Communionem poſtridie ſumptûri ſunt, ſe excitent ad meditationem, orationem, omnemque aliam pietatis præparationem: alii verò etiam precentur ſibi id gratiæ dari, ut deſiderio, & voto Sacræ Euchariſtiæ ſumendæ incendantur, quò frequentiùs ad divinam hanc menſam veſte nuptiali ornati accêdant.

Inter communicandum præterea id etiam per alium idoneum Sacerdotem aliquando præſtabit, ut verborum pondere, & ſententiarum quaſi jaculis, opportunâque aliquâ, & brevi cohortatione populus collectus excitetur, cum ad hanc ſanctiſſimam præparationem, tum ad frequentiam hujus Sacramenti: præterea & ex veteri inſtitûto antiphonam, & pſalmos item, ut infra, à reliquo clero parochiali religiosè cani ſtudêbit, & etiam repeti, ſi ſpatium detur.

ORDO

ORDO MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM.



Arochus Sanctissimam Eucharistiam ministratûrus; si quidem intra Missam, serventur rubricæ Missalis; si statim post Missam, casulam à parte Evangelii, & manipulum depônit; si alio tempore, lotis manibus, induit superpelliceum, & stolam rubri colôris, ad gradus altaris orat, mox ascendit.

Factâ genuflexione, ad populum conversus, à parteque Evangelii stans, capite aperto, sermonem habet ad communionem accommodatum, si tempus opportunum dabitur.

Deinde monet, qui communicatûri sunt, ne accêdant, nisi pacem cum proximo habeant, & omnino, nisi rectè purgati sint, & præparati.

Rursus genuflectit, pyxidem è tabernaculo extrahit, aut si extracta est, eam aperit, & repetitâ genuflexione, à parte Evangelii consistit, ita versus ad populum, ut tamen etiam Sanctissimum Sacramentum reverenter, manibus junctis, aspiciat.

Tum Diaconus, aut Clericus superpelliceo indûtus, à parte Epistolæ genuflexus monet omnes signum crucis sibi quemque adhibêre; ipseque altâ, & clarâ voce signans se dicit: **In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.** Et manibus junctis, confessionem generalem dicit eâdem voce, & tardâ pronunciatione, illis simul cum eo distinctè pronunuanti-

tiantibus, aut saltem attentissimè audientibus.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Marìæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beato Ambrosio Confessori, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideò precor Beatam Marìam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatum Ambrosium Confessorem, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Quà confessione pronuntiatâ, Parochus dicit: **Deo gratias:** tum statim (retento plurali numero, licèt unus, vel una tantùm communicet) pergit dicere manibus junctis.

Misereatur vestri omnipotens Deus: & dimissis omnibus peccatis vestris, perdûcat vos ad vitam æternam. ℟. **Amen.** Post manu dexterâ Crucis signum fidelibus communicantibus adhibet, & dicit:

Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus. ℟. **Amen.**

His pronuntiatis ad altare se convertit, genuflectit, manu sinistrâ pyxidem prehendit, & conversus in medio altari ad populum, duobus digitis pollice, & indice Sacramentum accipit, paululumque de pyxide elevat, & dicit: **Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi.**

Tum Diaconus, vel Clericus genuflexus ut supra clarâ voce dicit:

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

mea. Quod iterum, ac tertiò repetet, per singulas vices pectus percutiens; qua formulâ etiam utendum est, cum fœminæ communio ministratur: & qui communicatûri sunt unà cum Clerico eam pronuntiabunt saltem submissâ voce.

Postea Parochus ad communicandum accêdit, initiumque facit ab iis, qui à parte epistolæ sunt, singulisque Sacramentum præbens, signum crucis super pyxidem ante faciem communicatûri faciens dicit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam: qui accepturus est respondet. **Amen.**

Videat verò Parochus, ut antequam Sacramentum præbeat, satis spatii relinquat ad dicendum. **Amen.**

Dum Sacramentum præbet, adsit minister superpelliceo indûtus, qui vasculum purificationis manu dexterâ tenens, sinistrâ mappulam ad abstergendum os, Parochum, modico interjecto spatio, sequitur, & ministrat vasculum ad purificandum, & mappam ad abstergendum, quod vasculum ita poterit etiam fœminis ministrare, ut cùm primæ porrexerit, ipsa reliquis det, & omnes inter se tradant.

Si præbendo Sacramentum, digitos ex ore communicantium madefaciat, purificatorium sibi in pelvicula decenter afferri jubeat, quo eos abstergat; vel ipse ad altare revertatur, & id faciat.

Parochus, postcaquam omnibus Sacramentum præbuerit, digitis pollice, & indice, quibus ministravit, super pyxide simul junctis, ad altare revertitur. Ibi, depositâ pyxide supra corporale, eaque contectâ, tum facta genuflexione, statim digitos, quibus Sacramentum tetigit, à parte epistolæ vino, & aquâ abluit in vase non consecrato, quod præbêtur iis, qui communicarint, tum purificatorio abster-

abstergit: & rursus, facta genuflexione, pyxidem reverenter repônit, & dicit:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te humiliter deprecamur: ut accipientibus fratribus, & sororibus nostris Sacrosanctam Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Filii tui Eucharistiam, & animæ, & corporis sit salus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus, & dum dicit, sibi signum crucis adhibet. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Pax, & benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen. Et ita dicendo, signo crucis populo benedicat.

Oratio præcedens ita dicitur, ut illud nomen, fratribus omittatur, quando fœminis solùm communio ministratur: & verò contra, cum ministratur maribus tantùm, omittitur illud, sororibus. Itidemque singulari numero dicitur fratri nostro, si mari tantùm, ac præterea, sorori nostræ, si fœminæ solùm ministrabitur.

Antiphona, & Psalmi dicendi pro opportunitate in frequenti communione, ut supra præscriptum est.

Antiphona. Dominus dabit.

Psalmus 84.

BEnedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem ab Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.
Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.
Converte nos Deus salutaris noster: & averte iracundam tuam à nobis.
Ne in æternum irascâris nobis: aut extendas iram tuam à generatione, & progenie.
Deus tu convertens vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.
Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquêtur pacem in plebem suam: & super sanctos suos, & in eos, qui convertuntur coram ipso.
Veruntamen propè timentes eum salutare ipsîus: ut inhabitet gloria in terra nostra.
Misericordia & veritas obviavêrunt sibi: justitia & pax complexæ sunt se.
Veritas de terra orta est: & justitia de cælo prospexit.
Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.
Justitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.

Psalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.
Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertens: deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.
Nam & si ambulem in medio umbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.
Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.
Parasti in conspectu meo mensam: adversùs eos, qui tribulant me.

Impin-

Impinguasti in oleo caput meum : & poculum tuum: inebrians quàm præclârum est.
Et misericordia tua subsequatur me: omnibus diebus vitæ meæ.
Et ut inhabitem in Domo Domini: in longitudinem dierum.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.

Psalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo.
In Domino laudabitur anima mea: audiant mansuêti, & lætentur.
Magnificate Dominum mecum: & exaltêmus nomen ejus in invicem.
Inquisivi Dominum, & exaudîvit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
Accedite ad eum, & illuminamini: & vultus vestri non erubescent.
Iste pauper clamavit, & Dominus exaudîvit eum : & ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum.
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.
Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eum.
Timete Dominum omnes sancti ejus : quoniam nihil deest timentibus eum.
Divites eguêrunt, & esuriêrunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.
Venîte filii, audîte me: timorem Domini docêbo vos.
Quis est homo, qui vult vitam : & cupit vidêre dies bonos?
Cohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.
Declîna à malo, & fac bonum: inquîre pacem, sequere eam.

Oculi Domini super justos: & aures ejus in preces eorum.
Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.
Clamavêrunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit.
Multæ tribulationes justorum: & de omnibus iis liberabit eos Dominus.
Custôdit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conterêtur.
Mors peccatorum pessima: & qui odêrunt justum, delinquent.
Redimet Dominus animas servorum suorum: & non delinquent omnes, qui sperant in eo.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.
Antiphona. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Quæ Parocho servanda sunt in Paschali Communione.

Paschæ tempore, præter ea, quæ mox supra demonstrata sunt, hæc Parochus servabit.

In Paschali celebritate, ut nemo Parochialium legitimæ ætatis, quemadmodum est Sanctæ Matris Ecclesiæ præceptum, omittat hoc Sacramentum percipere in sua Parochiali Ecclesia, sæpenumero Parochus in Quadragesima populo promulgabit, atque adeò explanabit constitutionem illam in Concilio Lateranensi ab Innocentio Tertio Pont. editam, cujus initium est: Omnis utriusque sexus: Censuramque in ea sancîtam diligentissimè propônet.

Quæ constitutio ut perfectè servêtur, in Quadragesima item per familias, ut Concilio Provinciali cautum est, nomina eorum descrîbet, qui per ætatem rationis usum adepti, in Pascha sacram Communionem confessi sumere debent.

Hor-

Hortabitur autem eos, ut, qui in Pascha sacram Communionem sumere debent, ipso die Paschæ Resurrectionis id præstent.

Quo Paschæ tempore ipse, non alius Sacerdos, ministrabit; si verò frequentem populum habet, alium quoque Sacerdotem adhibeat, tunc licet.

Quibus Paschæ tempore Sacramentum hoc ministret.

PArochiæ suæ fidelibus in pascha ministrabit: aliênæ autem Parochiæ nullo modo, nisi, ut infra. Proinde, quod antiquis canonibus cautum est, ad populum conversus, anteaquam ministret, de altari enuntiabit aliênæ Parochiæ fidêles ad proprium Parochum remitti, à quo sacram Communionem in paschali celebritate sumant.

Iis etiam ministrabit, qui majorem anni partem in Parochia habitaverint: illis quoque, qui saltem sex menses.

Peregrinis item, & advenis, in Diœcesi: at Mediolani eos ad Metropolitanam Ecclesiam, ubi communionem sumant, abîre Parochus præmonêbit.

Illis præterea, qui paucis ante diebus advenerint animo constituendi domicilii.

Et verò illis quoque, qui facultatem ab Archiepiscopo litteris concessam habuerint.

Ægrôtis etiam parochialibus, etiamsi Communionem sumpserint, in Pascha quoque afferet, & ministrabit.

Qui parochiales paschæ tempore à parochiâ abfuerint, nisi se communionem sumpsisse testatum fecerint, in eos ad præscriptum Conciliorum Provincialium agat.

Qui autem præstitûto paschæ tempore non communicaverint, eos ex præscriptâ formulâ ad altare altero ex diebus festis pascha proximè sequentibus monêbit, & in contumaciâ perseverantes ad Archiepiscopale forum deferet.

Formula monitionis.

OMnes, & singulos Parochiæ nostræ fidêles legitimæ ætatis, qui in pascha ex præcepto Sanctæ Matris Ecclesiæ sacram

F 3 Com-

Communionem sumere debent, qui nondum sumpsêrunt, hoc monêmus, ut intra hanc hebdomadam, aut Dominicâ proximâ sequenti confessi sumant; aliôqui illos, qui ad constitûtam eam diem, vel ad sex dies post octavam paschæ ad summum non præstiterint, ad Reverendissimum Archiepiscopum deferêmus; ut mox ingressu Ecclesiæ, ecclesiasticâque sepulturâ interdicti, intra Missarum solemnia denuntientur, valvisque Ecclesiæ Parochialis nomina eorum affigantur. Atque hanc quidem unicam monitionem pro tribus satis esse vobis edicimus.

Quam quidem monitionem etiam vulgâri sermône explicabit.

Habêbit igitur Parochus librum communionis paschalis, in quo, præter parochiales, advenarum etiam communicantium nomina separâtim notabit.

De exponendâ sacrâ Eucharistiâ in oratione quadraginta horarum.

Coram sanctissimâ Eucharistiâ oratio quadraginta horarum in Ecclesiis fiat, ubi Archiepiscopus statuerit, & quando id concesserit.

Ne quavis causâ tamen Eucharistia palàm, & apertè exponatur, sed publicâ tantùm, eâque gravi; aliis verò de causis orationem licêbit instituere, sed non Sacramento apertè exposito.

Exponatur ordinariè in altari majori, sed in alio quoque, si ita Archiepiscopus censuerit.

Quod ut cum dignitate, decôrè, religiosèque agatur, altaris, vel cappellæ, ubi palàm exponetur, collocabiturve, ornatus decens sit, ac religiosus.

Cerei præterea in altari accensi ad summum decem, minimùm verò sex, decenti crassitudine, ac longitudine colluceant: lampades item ne plures, quàm duodecim, aut tredecim, nec verò pauciores, quàm tres: idque, nisi Archiepiscopus ob causam permittat, ut major luminum numerus aliquando adhibeatur.

Orationis initio, cum Sanctissimum Sacramentum palàm proponendum est, primùm, datis solemniter de more pridie illius diei vesperi, & iterum eo die paulò ante, campanarum signis, præsens adsit cum Sacerdos pluviali rubro indûtus, qui illud religiosè propônat, tum illius Ecclesiæ, ubi oratio futûra est, aut totius Parochiæ, si Ecclesia Parochialis est, Clerus superpelliceo vestitus, qui in hac functione illum adjuvet. Si verò qui convenerint Clerici vel Parochiæ, vel Ecclesiæ pauciores sint, quàm sex, alii aliunde evocentur, ut ne eo numero pauciores adsint, hique cum luminibus accensis, tum homines itidem Parochiæ, in cujus Ecclesiâ, finibusve oratio exponitur, præsertim Sanctissimi Sacramenti Sodalitati adscripti.

Processio cum Sanctissimo Sacramento exponendo per Ecclesiam agatur litaniis, statisque antiphonis, precibus, & orationibus; tum cereis accensis, & umbellâ, idemque in eo reponendo servêtur.

Dum illud in altari propositum est, interdiu Clerici duo superpelliceo indûti, capite aperto, ad altare semper assistant, quorum alter Diaconus saltem sit: noctu verò saltem unus, isque in sacro ordine constitûtus.

Ad altaris verò, cappellæve, ubi, proposito Sanctissimo Sacramento, oratio fit, cancellos affixæ sint tabulæ precum, & orationum, quæ pro temporum, calamitatumque ratione orantium usui ex Sanctæ Matris Ecclesiæ institûto accommodatæ, eæque litteris grandiusculis exscriptæ loco perspicuo sint.

Ad excitandam præterea populi in stata hac oratione versantis pietatem, hoc curêtur, ut aliquando, quo præsertim tempore, quave horâ frequens est fidelium ad eam concursus, sermo, isque brevis ad piæ meditationis studium inflammandum appositè habeatur.

Hoc orationis tempore in Ecclesia, ubi illa celebratur, fœminæ à maribus separatæ, tabulâto ad instructionum præ-

ſcriptum interjecto, aut ſaltem alio interſcepto adhibito, orent.

Ne ſumptus hujus orationis cauſâ, ad eleemoſynam excipiendam vas aliquod exponatur, aut aliâ ratione quæratur, niſi quantum Archiepiſcopi facultas dabit.

Ne noctu fœminis ſtatâ horâ ad orandum aditus in Eccleſiam detur.

Quòd ſi noctu orantes deerunt, Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo reponatur.

Si fortè ex hac, vel aliâ cauſâ Archiepiſcopi juſſu aliquando noctu intermitti contigerit, interdiu compensêtur majori orandi ſpatio.

Cum oratio noctu celebratur, ne propterea Eccleſiæ oſtia pateant, ſed clauſa pulſantibus, & ad orandum convenientibus, etiam ſingulis, aperiantur.

In Eccleſiis Monialium cum oratio hæc celebratur, nemo prorſus noctu in illam ad orandum intromittatur. Verùm ibi Sanctiſſimum Sacramentum per noctem in Tabernaculo Majori repoſitum, Moniales ſolùm ab interiori Eccleſiâ adorantes, nocturno eo tempore per ſtatas horas in oratione perſevêrent, ſummo verò mane iterum è Tabernaculo illud depromatur.

De veteri illo, & ordinario inſtitûto orationis quadraginta horarum per urbis Eccleſias ordine, & continenter habendæ, ſerventur in Conciliis, aliôve modo præſcriptæ regulæ.



DE

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

Rubricæ, seu instructiones.

Quid Parochus generatim doceat, horteturque populum sibi commissum.



Arochus fidèles sibi commissos, quantum potest, sæpe hortêtur, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum, non solùm, cum ex præcepto Ecclesiæ tenentur, sed quàm frequentissimè accêdant. Moneat sæpiùs pœnitentiæ quidem radîces esse amâras, sed fructus suavissimos, doceat per pœnitentiam nos in Dei gratiam restitui, quo nihil nobis debet esse optatius, animam quovis scelerum pondere oppressam per eam sublevari, conscientiæ pacem, & tranquillitatem, quæ omnes superat voluptates, tribui. Proinde, his, aliisque fructibus propositis, & ex doctrinâ præsertim Catechismi Romani explicatis, studeat, quotiescunque se occasio offerat, fidêles ita permovêre, ut ad tantum remedium, beneficiumque animæ suæ comparandum frequenter sese excitent: idque eâ præparatione fiat, quæ tantis fructibus digna sit; ita, ut in spiritu humilitatis, & amaritudine animæ suæ peccator quisque sua possit peccata deflêre, & confitêri.

Ante Quadragesimam moneat fidèles Parochiæ suæ, qui confessionis frequentem usum non habent, quemadmodum Decreto Concilii Provinc. V. jubêtur, ut se ad confessionem parent,

parent, neque eam differant in postrêmos Quadragesimæ dies.

Moneat opportûnè se se sacrâ Confessione munîre illos, qui eò proficiscuntur, ubi mortis periculum sit, vel ubi Confessarii copiam habitûri non sunt, item si rem arduam, & difficilem sint actûri, quod idem, transactâ re, facere ad gratias Deo puriùs agendas hortêtur, quibus de rebus in Concilio Sexto præscriptum est.

Quo modo se comparet: & ne auctoritatis suæ fines transeat.

Animadvertet Parochus, & Confessarius, ne, dum hoc Sacramento vulneribus aliorum medêtur, ipse telo peccati se configat. Quamobrem caveat, ne mortifero peccato inquinatus ad Sacramenti ministrationem accêdat; neque item censûrâ ecclesiasticâ, aut alio canonico impedimento irretîtus.

Immo verò ita sanctè vivere studeat, ut pœnitentes non verbis solùm, sed exemplis quoque ad virtûtum christianarum officia erudîre possit; neque ejus dicta à factis ullo modo dissentiant; quantò enim magis omni virtute, præcipuèque charitate paternâ, zeloque salûtis animarum ipse præcellentior erit, tantò aptius erit instrumentum bonitatis Dei.

Quò magis autem ad omnem vitæ bonitatem sese excitet, cum sæpenumero secum ipse tacitâ meditatione cogitabit, cujus vicem ipse gerat, & quàm sanctæ sint suscepti ministerii sui partes; tum verò id omne attentissimâ contemplatione reputâbit, cum ad audiendam confessionem vocabitur.

Quo tempore ita se geret, ut neque in incessu, neque in gestu, motûve alio corporis, neque etiam in vestîtu videatur, nec verò in ejus voce quidquam audiatur, quod non deceat virum gravem, atque adeò sanctum, quique meminerit se tenêre locum Dei.

Intimè

Intimè verò, atque in corde suo humiliter de se sentiet, ita, ut tamquam in Dei conspectu cum reverentiâ, & timore sanctum ministerium audiendæ confessionis peragat, & animo usque adeò se demittat, sanctèque abiiciat, ut pœnitentes, quorum confessionem audit, se meliores putet.

Ad audiendas porrò confessiones non inâni gloriâ, non lucri cupiditate, non curiositate, non denique ullo humano affectu ductus, sed salûtis fidelium procurandæ studio inflammatus accêdet.

Nec propterea quemquam pœnitentem, subterfugiendi labôris causâ, rejiciet, ne nutu quidem, nedum verbis: immo se paratum semper, promptum, facilem, humilemque præbêbit.

Ita etiam se constanter geret, ut nullius metu, aut gratiâ officio suo desit.

Caveat Curatus, ne iis temporibus, quibus confessiones frequentiores esse solent, præcipuè per octo dies ante Natalem Domini, & à Dominica de Lazaro usque ad Resurrectionis octavam, etiam aliò ad funera, & alia sacra officia vocatus, illud audiendæ confessionis munus in sua Ecclesia sine causâ necessariâ prætermittat, aut ullo modo differat.

Et quoniam confessionis minister judicis, & medici simul personam gerit: ut, & quod ad judicem attinet, ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæ levia sint, quoue modo corrigenda, pro cujusque hominis ordine, & genere judicare possit; & tamquam medicus ea remedia ægrôto adhibeat, quæ ad illius animam sanandam, & in posterum contra vim morbi muniendam aptiora videantur: opus est, ut is tum scientiam, atque eruditionem, tum prudentiam studeat sibi, quantam potest, comparare; tum ex divina gratia, quam assiduâ precatione supplex à Deo petat; tum ex auctoribus probatis, qui eam materiam piè, plenèque tractarunt.

In primis bene cognita habeat, quæ monitis, seu instructionibus

bus in hac Ecclesia editis ad Confessariorum usum continentur.

Sacramenti igitur hujus doctrinam omnem rectè nosse studêbit, ita, ut, quæ illius ratio, qui effectus, quæ illius partes, quæ earum partium vis, & natûra peritè intelligat.

Quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoscat.

Peccati circumstantias sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati, & quæ in confessione explicandæ sunt, quæ restituendi onus indûcant.

Censurarum rationem, & vim rectè intelliget, & quibus criminibus annexæ illæ sint.

Casus reservatos in promptu habêbit; ita, ut rectè sciat, qui jure canonum Summo Pontifici, qui rursus Episcopo, qui præterea in Bulla Cœnæ Domini, quique pro varietate temporum Episcopo reservati sint.

Differentiam satisfactionum pœnitentialium etiam probè noscet, ac præterea canones pœnitentiales, ut infra, ordine decalogi explicatos.

Memoriâ tenêbit casus, quibus confessio sit iteranda.

Cognitum etiam habêre Confessarius omnis debet, ac præterea animadvertere, antequam ad audiendas confessiones accêdat, quanta sit auctoritas, potestasque jurisdictionis suæ: ita, ut, cum norit, & quos, & à quibus peccatis, censurisque absolvere possit, tum etiam caveat, ne facultatis suæ fines prætergrediatur.

Parochus quisque ne eorum confessiones audiat, qui aliênæ Parochiæ sunt, nisi facultatem ejus rei habeat, ad præscriptum Synodi undecimæ.

Excommunicationis latæ sententiæ pœnam recordentur Confessarii, quam subîre eos decretum est in Concilio Quarto, qui sine Episcopi facultate hoc Sacramentum ministrant: quique aliquem absolvere audeant à casibus Archiepiscopo reservatis sinè ipsius facultate, ut in Quinto Concilio decretum est.

Ne oblivifcantur item excommunicationis illius, cui in Synodo undecimâ fubjecti funt ii, qui focios criminis audent abfolvere.

Item decretum aliud memoriâ teneant factum in eodem Concilio Quinto in hæc verba.

Ne facultatum, privilegiorumve jure, quæ cuicunque etiam rofarii, & cruce fignatorum fcholæ, confratriæ, collegiove etiam laicorum, quæve collêgis, confratribufve in eo adfcriptis ante, vel poft Concilii Tridentini confirmationem conceffa funt, Confeffarius, cujufvis ordinis fit, ab iis cafibus, quos fibi Epifcopus in fua Diœcefi refervaverit, pœnitentes finè illius facultate abfolvat. Si contra fecerit, fufpenfionem à divînis ipfo facto incurrat.

Quod idem fieri prohibitum eft, etiam ex indulgentiarum litteris, quæ Ecclefiis conceffæ funt, Concilio Provinciali Sexto.

Quæ Parochus fpeciatim doceat, horteturque facere pœnitentes in Sacramento Pœnitentiæ.

Pœnitens antequam ad Parochum, Sacerdotemve, cui peccata confiteatur, accêdat, multitudinem, & gravitatem peccatorum, quibus fe irretîtum effe fentit, vehementer intimè dolêbit, ac deplorabit, Deique mifericordiam omni prece flagitabit. Propofitâ fibi ob oculos fanctiffimâ Chrifti Crucifixi, vel aliâ piâ imagine, cor fuum pro peccatis remittendis effundet, excitans, & humilians fpiritum vehementer ad compunctionem.

Primò peccata omnia præfertim graviora ad memoriam revocabit, quâ in recordatione excitabit devotionem, & cordis compunctionem.

Et quò magis contemptum fui ipsîus, abjectionem, humilitatemque, ac devotionem in fe excitet, recensêbit gemens peccata, quæ vehementiùs fuam confcientiam angunt.

Et quò diligentiùs confcientiam examinet, fibi propônet

net ob oculos decalogum, ad cujus singula præcepta se, mores, vitamque suam accuratè contemplabitur.

Singulaque præcepta ita examinabit, ut perpendat, atque adeò videat singillatim, si quæ contra unumquodque præceptum vel cogitatione, vel verbo, vel opere admiserit, commiseritve; aut rursus si quid de eo omiserit.

Aliud præterea examen conscientiæ suæ inibit ex septem peccatis capitalibus singulis, quæ item aut cogitatione, aut verbo, aut opere commiserit, aut omissione etiam.

At verò omnem examinandæ conscientiæ rationem fideles præsertim rudes Parochus, Confessariusve aliquando docebit, prout opus esse viderit.

Cum igitur pœnitens ex singulis notatis capitibus conscientiam suam, quantâ potuit diligentiâ, examinaverit, desiderio consequendæ remissionis peccatorum accensus ad Confessarium vices Christi gerentem accêdet, cui omnia, & singula peccata, quæ in memoriam venerint, fideliter, & integrè expônet.

Accêdet autem ad confessionem habitu demisso, & humili, ac nullo planè ornatu, & depositis armis. Si verò clericalis ordinis est, sine superpelliceo.

Ad pedes Confessarii genua ambo flectet, nullo supposito pulvinario, nisi aliud necessitas postulat.

Decenter se toto corporis habitu, & situ ita se compônet, ut instar supplicantis sit.

Erit capite aperto, vultu demisso, manibus junctis, & supplicibus.

Faciem Sacerdotis non spectabit, ut meminerit se non coram homine peccatore, sed coram Deo altissimo esse, ut agnoscendo, & confitendo offensas humiliter veniam petat.

Mulier autem pœnitens ita capite velato erit, ut velum densum caput operiens demissum sit usque ad supercilia.

Quæ

Quæ in ministratione Sacramenti Pœnitentiæ Parochus, & Confessarius observet.

AD audiendam confessionem cum accêdit, ante brevi precatione, quâ divînæ gratiæ lumen in eo ministerio ritè peragendo sibi postulet, tacitus utêtur: ac præterea preces adhibêre poterit, quæ infra notatæ sunt.

In Ecclesia, non autem in privatis ædibus confessiones audiat; nisi ex causa necessaria, vel urgenti, quæ cum inciderit, studeat tamen in oratorio, aut certè decentissimo loco id præstare.

Habêbit igitur in Ecclesia sedem confessionalem ad præscriptum, in qua sacras confessiones excipiat; duas verò, ubi quingentarum animarum cura geritur; plures, ubi plures sunt Confessarii, quæ sedes confessionales patenti, & conspicuo Ecclesiæ loco, non autem in Ecclesiæ, aut cappellæ alicujus angulis constitûtæ sint.

Affixa hæc sint cuique confessionali: sacra imago, litteræ diei Cœnæ Domini illius anni, tabula casuum reservatorum, orationes dicendæ ante confessionem, formula absolvendi.

Mulieres ante solis ortum, vel post ejus occâsum confitentes in Ecclesia ne audiat: neve ullo modo extra sedem confessionalem; & medio inter eum, & mulierem intersepto.

Superpelliceo, & stolâ violacei colôris utêtur, nec verò unquam stans, sed sedens audiet, & absolvet, cujuscunque gradus sit pœnitens, neque dum pœnitentem audit, inde discêdet aliò vocatus, nisi necessariâ causâ. Dum verò audit non aliò neque oculis neque animo, menteve vagabitur, sed ad pœnitentis confessionem attentus erit, illiusque peccata unà cum eo intimè dolêbit, memor sanctissimorum patrum, ac præsertim Beati Ambrosii, qui pœnitentum confessionibus audiendis lacrymas perpetuò profûdit, eorum culpas simul dolendo.

Vultu, & oculis ita compositis se in sedîli confessionali ha-

habêbit, ut re vera ostendat se de pœnitentis salûte paternè solicitum; ita tamen, ut nullo penitùs signo inspectantibus indicare possit se gravitate fortasse sceleris alicujus commovêri.

Ante confessionem Parochus, Confessariusve perquîrit generâtim statum pœnitentis, si eum minimè norit. Tum haec inter cetera.

Quandiu est, quòd confessus non sit.

An pœnitentiam impositam præstiterit.

An examinandæ suæ conscientiæ, antequam ad confessionem accesserit, diligentiam, prout opus est, adhibuerit, aliòqui differenda esset confessio.

Parochus item interrogabit, an suæ sit parochiæ, si dubitet.

Si Confessarius nihil impedimenti obstare viderit, ad confessionem veniendum erit, quæ ut fructuosior sit, rectè faciet Confessarius, si brevi, & efficaci aliquâ monitione priùs pœnitentem præparabit, & accendet ad piè confitendum.

Confessarius quisque, antequam confessionem audiat, efficiat, ut pœnitens, ipso audiente, recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & Decalogum, ad præscriptum Concilii Prov. Quinti; nisi ejus recitationis certis personis aliquando remittendæ facultatem habeat, ut Sexto Prov. Concilio, & Diœcesano Undecimo permissum est; cum iis verò, qui ea capita recitare nesciunt, aut difficilè discere possunt, agat ad præscriptum eorundem Conciliorum.

At verò omnino perquîrat, si rudes quidam homines ad confessionem accedentes fidei articulos ignorent, & si opus esse viderit, eos doceat, ita ut explicitè eos, & intelligenter sciant, non autem quasi recitantes tantùm.

Testimonium ejusdem recitationis ne tradat iis, qui non recitarint, cùm etiam Regularibus falsum dantibus pœna sit suspensionis à munere audiendi confessiones, ex Synodo XI.

Pœnitens ipse omnia, & singula peccata confitebitur, cumque

que confitentem Confeſſarius adjuvabit, prout opus eſſe viderit.

Poſtea eundem ipſe interrogabit, an alia peccata recordêtur, demum de ſingulis Decalogi Præceptis, de ſeptem peccatis capitalibus (ſi tamen expedire pro ratione perſonæ viderit) item de omiſſis, & commiſſis circa præcepta Eccleſiæ, opera miſericordiæ, virtûtes theologicas, uſum quinque ſenſuum.

Extra materiam peccatorum non vagabitur in confeſſione.

Prudens, cautuſque erit in interrogationibus, ne rudibus præſertim, atque utriuſque ſexus junioribus ad novum, & nunquam antea attentatum ſcelus occaſionem aperiat, atque det. Hi tamen de peccatis, quorum nullam in confeſſione mentionem fecêrunt, & in quibus probabiliter exiſtimari poſſunt deliquiſſe, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudôre, aut ignorantiâ celent peccata.

Studeat verò ſemper exquirere, ſi quid pœnitens norit, quod ad Sanctæ Inquiſitionis officium ſit deferendum.

Si pœnitens aliquâ censûrâ, vel caſu reſervato ſit ligatus, à quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi priùs obtentâ facultate abſolvendi à Superiore. Hìc autem animadvertendum eſt, quemlibet Sacerdotem, ſi periculum mortis immineat, & approbatus deſit Confeſſarius, poſſe à quibuſcunque censûris, & peccatis abſolvere.

Caveat ne excommunicatum priùs abſolvat à peccatis, quàm ab excommunicatione ſit abſolûtus.

Videat diligenter, ne quem abſolvat, qui vel odium, inimicitiamve deponere nolit: vel reſtituere pro facultate recûſet aliênum: vel à ſtatu peccati mortalis paratus non ſit diſcedere, occaſionemve ſimilis peccati vitare, qua de re doctrinas probatas ſtudeat rectè cognoſcere, & ſecundùm eas ſe ſe gerere.

Obſervet, ſi quod peccatum mortale in confeſſionibus præteritis ſtudiosè ſubticuit, ut iterari ſit opus.

In eo maximè cautus sit absolvendo, cui, cum facultas adsit aliêna restituendi, vel legata pia persolvendi, idque jam aliàs in confessione promiserit, præstare tamen neglexit.

Peccata quædam magìs usitata, & quæ maximo sunt fidelibus populis damno, & scandalo studiosiùs persequatur: contractus, quibus usûra palliata inest, ut in cambiis, & vendítionibus multis: crimen falsi testis: chorêas, & spectacula: venereas amicitias, & ejusmodi.

Antequam pœnitentiam impônat, & absolutionem tribuat pœnitenti, vidêbit, an propter Deum veram peccatorum suorum contritionem habeat, anque certum, deliberatumque ei sit, in posterum, quantum in se est, divînâ gratiâ adiuvante, à peccatis abstinêre, & quæ antea commiserit, pro iis satisfactionem persolvere. Quòd si ita animo affectum viderit, monêbit, valdêque hortabitur, ut pro tanto beneficio maximas gratias Deo agat, ab eoque cælestis gratiæ præsidium petere nunquam desinat, quo adjûtus pravis cupiditatibus facilè resistere possit.

Si verò talem contritionem illum non habere intellexerit, illius desiderio accendere conabitur; hoc admonens, propter Deum ipsum, usque adeò, quantum potest, eum peccata dolêre oportêre, ut saltem, adjutrîce divînâ gratiâ, quam à Deo intimè precetur, ex Sacramentique virtûte ex attrîto contrîtus fiat.

Quòd si pœnitens nullam contritionem, nec verò saltem attritionem, aut neque propositum abstinendi in posterum ab aliquo mortali peccato ostendet, eum minimè Confessor absolvat: sed tamen eum salutaribus consiliis, & bonis operibus præscribendis juvet: quod idem præstet, si ante confessionem id animadverterit; cavendo ne quemquam asperiùs tractans, culpâ suâ indûcat, ut vel despêret, vel à confessione abhorreat.

Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si pruden-

dentiori consilio indiguerit, illud absque ullâ expressione persônæ cautè requîrat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum esse canone decretum est.

Confessionis testimonium signatum ne dare omittat peccata confessis in Pascha, ut de ea Parochis constet.

Item ægrotationis tempore, ut possit medicis ostendi: quod qui non fecerit, eum, si regularis sit, suspensionem; si alius, mulctam pecuniariam subîre Synodo XI. decretum est.

Confitentium nomina, & cognomina Paschæ tempore in librum certum, apposito die, referat, ut is possit petenti Archiepiscopo ostendi.

Ne quid accipiat in sacra hujusmodi ministratione: neve arcam, aut vas aliquod habeat ad eleemosynam hac de causa, etiam dissimulanter, excipiendam.

Si quid pecuniæ dare pœnitentes ad satisfactionis, vel pœnitentiæ opus debent, id ne sibi Confessarius sumat, etiamsi erogandum sit in Missæ sacris faciendis.

De cohortatione, & monitione Confessoris ad pœnitentem.

COnfessione auditâ, perpendens peccatorum, quæ ille admiserit, magnitudinem, nempe qualia sint, quàm gravia, & quoties peccârit, pro eorum gravitate, proque illîus, qui commiserit, conditione, cohortationes, monitiones paternâ charitate adhibêbit, atque correptiones etiam, reprehensionesque graves, prout opus esse viderit.

Hæc porrò pœnitentem valdè cohortabitur in Domino, ut in officii, aut artificii, quod exercet, aut ordinis, statusve sui munere se justè, rectèque gerat.

Bene, ac christiano more vivendi regulas demonstrabit, prout opportûnum esse viderit pœnitenti, præsertim patri-

familias, & omnino pro personæ illius ratione, idque etiam ex libellis eo de genere editis.

In primis, ut sanctissima Sacramenta, Confessionem, & Communionem devotè frequentet.

Quotidie manè saltem, vesperique ad præsidium orationis confugiat, in qua aliquid de Passionis Domini nostri, vel aliis mysteriis meditêtur, supplexque omni intimâ pietate Deum adôret, ei de beneficiis universè, speciatimque acceptis gratias agat; &, facto brevi conscientiæ suæ examine, ab eo totâ mente, totoque corde petat misericordiam, ac veniam erratorum suorum, & lumen præterea, ac virtûtem, quâ ipse adjûtus rectè ambulet, atque adeò progrediatur in via mandatorum divînæ legis.

Docêbit etiam optimum fore, si aliquem ex sanctorum numero patrônum Cælestem deligat, præcipuè Beatissimam Virginem Mariam Matrem Dei, cujus intercessionem quotidie implôret.

Sancti etiam, cujus nomen habet, exempla virtûtum imitari studeat: & quorum Sanctorum dies festi coluntur, cum eorum celebritas anniversaria agitur, ab uniuscujusque illorum vitâ aliquam virtûtem precipuam discat, quam sibi quoque propônat ad imitationem.

Et verò pietatis christianæ officia, atque opera charitatis, ut maximè potest, solicitè amplectatur.

Peccata verò, atque adeò omnem peccandi occasionem fugiat: hisque fugiendis ipse pœnitenti remedia salutaria demonstrabit.

Eundemque præterea adhortabitur, ut malorum consuetudinem devîtans, bonorum, pièque agendi studiosorum non solùm familiaritate, sed consilio utatur.

Pœnitentem ut affectum esse animadverterit, ita opportûnè, salutariterque monêbit. Afflictum ad patientiam hortabitur exemplo Christi Domini, & Sanctorum ejus. Si quem æterni supplicii commemoratione vehementer angi

angi viderit, eum in ſpem divînæ bonitatis, & miſericordiæ infinitæ eriget: alium, qui graviſſimè peccarit, ſi neque contrîtum, neque attrîtum viderit, metu divînæ juſtitiæ perterrefaciet, cum eodemque aget, ut ſupra: ægrôtum verò conſolabitur, ut demonſtratum eſt in ea parte, quæ eſt de viſitatione infirmorum.

Omnino more perîti medici ſciet infundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquîrens & peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbêre conſilium, & cujuſmodi remedium adhibêre, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrôtum.

Quamquam autem abſolutio, quæ eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ, conſiſtit in illis verbis, EGO TE ABSOLVO, debet tamen Confeſſarius alia quoque addere, ut infra ſuo loco in ordine notata ſunt.

De modo imponendæ pœnitentiæ.

Pœnitentiam imponendo adhibêbit & prudentiam, & pietatem, & juſtitiam.

Habêbit rationem ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis.

Vidêbit, ne ei, qui in aliêna poteſtate eſt, eam pœnitentiam injungat, quâ præjudicium afferatur illius juri, qui pœnitentem in poteſtate habeat: neve eam, quâ, vel occaſio detur ſpiritualis ruînæ, vel pœnitentis, alteriuſve peccatum detegi, vel aliquod ſcandalum ſuborîri, vel ipſe pœnitens nimiùm deterrêri, remiſſuſve, & tepidus reddi poſſit. Quamobrem talem impônet, qualem ab eo præſtari poſſe judicet. Projnde aliquando, ſi ita expedîre viderit, illum interroget, an poſſit, anve dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere, aliòquin eam mutabit, aut minuet.

Conſiderabit item animum, mentemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lacrymas intimi dolôris indices.

Cûm hæc Parochus pro prudentiâ, charitateque ſuâ ſpectabit, tum verò maximè vidêbit, ut ne pro peccatis gravi-

bus leviſſimas pœnitentias impônat: idquod & Confeſſoribus, & pœnitentibus periculôſum eſt; cum id à ſacris litteris, & à Conciliorum decrêtis, & à ſanctorum Patrum ſententiâ aliênum ſit, nam divinæ litteræ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu. Et verò, qui peccatis gravibus leves quoſdam pœnitentiæ modos impônunt, hi (canon inquit) conſuunt pulvillos, ſecundùm propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Immo Concilium Tridentinum docet alienorum peccatorum participes fieri eos Confeſſores, qui, dum cum pœnitentibus indulgentiùs agunt, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungunt?

Si quis igitur graviter, publicèque peccarit; cum publicam pœnitentiam reſtituendam eſſe Sacra Tridentina Synodus decernat, ei publicam, pro ratione criminis, impônet.

Si cui autem, cum publicè offenderit, pœnitentia publica imponenda eſt, is ab ea longè refugiat, ne deſiſtat propterea perſuadêre, ut ſuſcipiat: ſi minùs perſuaſionibus poteſt, conſulat Archiepiſcopum.

In peccati gravitate perpendet item, quoties admiſerit: nam ſi quis in eodem peccati genere ſæpius offenderit; dignus eſt, qui graviôri pœnitentiâ afficiatur.

Pœnitentis præterea culpas graves perpendenti ſibi ob mentis oculos propônet canones pœnitentiales, qui lumen & ſibi, & pœnitenti quoque afferant, quo videant, quemadmodum, pro peccati ratione, pœnitentia & imponenda, & ſuſcipienda ſit.

Eorum canonum tamen pœnitentias, ut tempora ferunt, pro charitate, & prudentiâ ſuâ, minuet, prout peccati, & peccatoris circumſtantiæ requîrent, in quibus, præter eas,

quæ

quæ paulò ante demonſtratæ ſunt, rationem etiam habebit contritionis ejus, qui peccavit.

Demonſtrabit tamen iis, qui graviùs peccarint, quò magìs ſcelerum ſuorum magnitudinem agnoſcant, quanta ipſis pœnitentia ex canonum regulis imponenda eſſet. Nec verò putent ſua peccata levia eſſe, quia parva illis pœnitentia data eſt: ſed hoc factum eſſe, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deſerant cum periculo ſalûtis ſuæ. Proinde pœnitentes ideò hortandi erunt, ut præter pœnitentiæ opera impoſita, plura etiam alia præſtare conentur.

Injunget præterea pœnitentiam pro culpæ, & perſonæ ratione: ita ut ſuperbis humilitatis opera: Carnis voluptatem ſectantibus jejunia, abſtinentiam, cilicii geſtationem, aliamque corporis macerationem, pro peccati gravitate, indicat: In oratione negligentibus, ut ſingulis diebus manè ſaltem, & veſpere orationi vacent; feriâ ſecundâ, & aliis certis feriis pro defunctis orent; certis item, definitiſque diebus, devotè viſitent ſtationales, & præcipuæ devotionis Eccleſias, & altaria, præſertim in Quadrageſimâ, & in Adventu: Mundi pompas, chorêas, aliaque opera ſatanæ conſectantibus eam pœnitentiam impônet, ut in hebdomada manè certis diebus, id quod in ſingulos dies etiam faciendum eſſe graviſſimè Beatus Chryſoſtomus monet, ſanctâ meditatione ſibi propoſitâ, ſolemnem illam ſponſionem, quam per compatres in Baptiſmo ſanctè fecêrunt, redintegrent, intimè Deum precando: in qua precatione, firmo, ſtabilique animi propoſito ſtatuant, ſe Chriſto Domino adhærêre, renunciareque iterum, atque iterum ſæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis, cui ſe adverſarios eſſe & profeſſi ſunt, & profitentur perpetuò.

Pœnitentiæ genera.

Atque hæc quidem pœnitentiæ genera à ſanctis viris accepta, Eccleſiaſticæque diſciplinæ interpretibus, pro peccatorum ratione, adhibêri poterunt.

Ut pœnitens vestium sericárum usu, auri ornamento, conviviorum apparâtu, venatione, aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus hominibus cibum suppeditet, ac ministret: pedes item lavet.

Ut peregrinos, pro facultatum ratione, hospitio excipiat.

Ut in publica domo hospitali, locôve pio aliquot dies operam navet.

Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, &, cum per facultates potest, alat, certo præstitûto tempore.

Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semôtum locum abdat, ubi pœnitens vivat.

Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat.

Ut certis diebus, præsertim feriâ quartâ, sextâ, & Sabbato jejûnet: vel etiam vescatur solùm pane, & aquæ potu utatur.

Ut certo aliquo tempore non equitet.

Ut, si facultates suppetunt, certam pecuniæ, aut frumenti, aut vini quantitatem in eleemosynam pauperibus Christi conferat.

Ut genibus flexis, aut etiam brachiis extentis in modum crucis, certo tempore, & horâ præfinitâ, ante Crucem, aliamve sacram imaginem in Ecclesia oret.

Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve.

Ut flagella, certis præscriptis diebus, sibi adhibeat.

Ut cilicium aliquot dies induat.

Ut religiosam aliquam peregrinationem suscipiat, sanctèque conficiat.

Ut statos psalmos pœnitentiales, aliasque pœnitentiales preces piè recitet aliquot dierum spatio.

Ut certas Ecclesias, puta stationales, vel præcipuæ devotionis visitet.

ORDO

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM POENITENTIÆ.



Onfessarius superpelliceo, & stola violacei coloris indutus priùs genuflexus orat, ut tanto possit ministerio satisfacere; tum has quoque preces adhibet pro opportunitate.

℣. Cor mundum crea in me Deus.
℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
℣. Ne projicias me à facie tua.
℟. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Docebo iniquos vias tuas.
℟. Et impii ad te convertentur.
℣. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.
℟. Et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut dignè possim tibi gratias agere; qui me indignum propter magnam tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis; & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideòque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant; suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulâ-

bus

bus tuis, qui ad pœnitentiam venêrunt, ut des illis spiritum compunctionis, quo resipiscant à Diaboli laqueis, quibus astricti tenentur; ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum sedet, ut præscriptum est. Pœnitens autem humili habitu, positus humi genibus, junctis in modum supplicis manibus, se ad confessionem parat.

Confessarius perquirit de illius statu, & interrogat, quæ supra sunt præscripta.

Cum ad confessionem veniendum est, pœnitens primùm munit se signo Crucis dicens:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde benedictionem ab eo petit his verbis.

Benedicite pater. Tum Confessarius inquit.

Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut dignè, & competenter confitearis omnia peccata tua.

Deinde pœnitens dicit Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum, cum ex supra explicatis debet.

Tum recitat confessionem generalem, usque ad ea verba: Ideo precor: percutitque pectus ad ea verba: mea culpa &c.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beato Ambrosio Confessori, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccávi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. quam si memoriter nescit, adjuvante, suggerenteque Confessore, id præstet, & si opus est, etiam vulgâri sermône.

Peccata sua exinde confitêtur, adjuvante, quotiescun-

que

que opus est, Sacerdote, qui demùm interrogat, ad alia recordêtur; & ejus conscientiam perfectiùs examinat, prout conditio personæ postulat; & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis inducere conatur.

Postrêmò pœnitens accûsat se de oblitis, & dicit reliquum confessionis generalis.

Ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatum Ambrosium Confessorem, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum. Deinde pœnitentiam, absolutionemque humiliter petit.

Pœnitentiam Confessarius impônit, remedia peccatorum tradit. Mox, si tunc absolvendus est, dicit primò distinctis verbis, ut à pœnitente audiatur, capite aperto, & manibus junctis:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perdûcat te ad vitam æternam. Pœnitens respondet: Amen.

Deinde signum Crucis dexterâ formans versùs pœnitentem, dicit:

Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Pœnitens respond. Amen.

Deinde caput operit: manu dexterâ supra caput pœnitentis elevatâ, & extentâ, absolvit hac formulâ, & dum dicit: In nomine Patris &c. Crucis signum dexterâ format versùs pœnitentem.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, quâ fungor, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum ego possum, & tu indiges.

Dein-

Deinde ego te absolvo à peccatis tuis: In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Si Pœnitens sit laicus, omittitur verbum suspensionis.

Tum Sacerdos, capite aperto, & manibus junctis, dicit:

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Pœnitens respondet: Amen.

Et Confessarius dicit: Vade in pace, & noli amplius peccare.

Neque omittit vitæ præcepta tradere, & omnino saluti pœnitentis consulere, ut supra explicatum est.

De absolutione ab excommunicatione.

SI certum sit aliquem incurrisse excommunicationem, & absolutionem debitâ pietate postulet, si Confessarius absolvendi facultatem habeat, eum, formâ à jure præscriptâ, absolvet, his servatis.

Primò, ut in magnis saltem criminibus excommunicatus juret parêre mandatis Ecclesiæ super eo, de quo est excommunicatus.

Deinde, ut pro offensâ, aut damno parti satisfaciat, si, & quatenus tenêtur satisfacere, & si non potest in præsenti, promittat, & caveat cautione saltem juratoriâ.

Postrêmò eum absolvet: cujus absolutionis, quamvis non sint determinata verba, hac tamen infra descriptâ usitatâ formulâ, & ratione utêtur.

Sed mulierem absolvendam nunquam humeros nudare jubêbit, neque absolvens verberabit.

Neque etiam virum secretò confitentem, si sit in præsentia alterius. Si verò in occulto sit, aut fortè absolutio danda sit in foro exteriori, omnia servabuntur.

Absolvendi ratio.

Pœnitentem igitur, utroque genu flexo, & manibus simul

mul junctis, humerisque paululum nudatis, virgâ, aut funiculis percutit, dicendo psalmum quinquagesimum, Miserêre mei; aut alium ex pœnitentialibus, cum Gloria Patri, &c. Deinde dicit: Kyr. Kyr. Kyr.

Pater noster, &c. Secretò usque ad

℣. Et ne nos indûcas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimîcus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimîci.

℣. Domine exaudi orationem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, cui proprium est miserêri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis catênâ constrinxit, miseratio pietatis tuæ clementer absolvat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

In qua Oratione mutandum est genus, prout quis mas est, vel fœmina.

Quibus peractis, eum absolvit hac formulâ.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat; & ego auctoritate ipsius, & sanctissimi Domini Nostri Papæ, vel Reverendissimi Archiepiscopi N., vel talis Superioris, mihi commissâ, absolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum; vel causam, &c.,

&c., & restituo te communioni, & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti.

Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.

SI quis excommunicatus ex hac vita decêdens dederit signum contritionis, ne ecclesiasticâ careat Sepultûrâ, sed Ecclesiæ suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo.

Si Corpus nondum sepultum fuerit, verberetur, & absolvatur, ut infra, deinde absolûtum in loco sacro sepeliatur.

Si verò fuerit sepultum in loco profâno, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem in loco sacro sepelietur: sed si commodè exhumâri non potest, locus sepultûræ verberetur, postea absolvatur.

Quod si in loco sacro sit sepultum, non exhumabitur, sed verberabitur Sepulcrum.

Dum autem Corpus, sive Sepultûram verberat, Sacerdos dicat:

Antiph. In iniquitatibus.

Psalmus 50.

MIserêre mei Deus: secundùm magnam &c. sine Gloria Patri in fine.

Antiph. In iniquitatibus conceptus sum: peccavi coram te, Domine, miserêre mei.

His peractis, Sacerdos absolvat hac formulâ.

A uctoritate mihi concessâ, ego absolvo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, vel causam &c., & restituo te communioni Fidelium. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti.

Deinde

Deinde recitet preces, ut supra.

Pater noster. Secretò usque ad

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Requiem æternam dona ei, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Non intres in judicium.

℟. Cum servis tuis, Domine.

℣. Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.

℟. Animas pauperum tuorum ne obliviscâris in finem.

℣. Domine exaudi orationem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Exurge Christe, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Psalmus 142.

Domine exaudi orationem meam: auribus percipe deprecationem meam in veritate tua.

Exaudi me in tua justitia: & non intres in judicium cum servo tuo.

Quoniam non justificabitur in conspectu tuo: omnis vivens.

Quia persecutus est inimîcus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in tenebris, sicut mortuos æterni: & anxiatus est super me spiritus meus.

In me conturbatum est cor meum, memoratus sum dierum antiquorum: & meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabor.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sinè aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defêcit spiritus meus.

Ne avertas faciem tuam à me: & ero similis descendentibus in lacum.

Audi-

A udîtam mihi fac manè misericordiam tuam: quia in te speravi, Domine.

N otam mihi fac, Domine, viam, in qua ambulem: quoniam ad te levavi animam meam.

E ripe me de inimîcis meis, Deus: quia ad te confûgi.

D oce me facere voluntatem tuam: quia tu es Deus meus.

S piritus tuus bonus: dedûcet me in terram rectam.

P ropter nomen tuum, Domine, vivificabis me in tua justitia: & edûces de tribulatione animam meam.

E t in misericordia tua disperdes inimîcos meos; & perdes omnes, qui tribulant animam meam: quia ego servus tuus sum.

℣. Domine averte faciem tuam à peccatis nostris.

℟. Et omnes iniquitates nostras dele.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DA, quæsumus, Domine, animæ famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quiêtis beatitudinem, & superni luminis claritatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Anima istius, & Animæ omnium Fidelium Defunctorum per Dei misericordiam requiescant in pace. ℟. Amen.

De

De modo Absolvendi à Suspensione, vel ab Interdicto.

SI committatur Confessario absolutio suspensionis, vel interdicti, quamvis nulla sint verba constitûta, hac formulâ utêtur.

Auctoritate mihi ab. N. traditâ, ego absolvo te à vinculo suspensionis, vel interdicti, quam, vel quod propter tale factum, vel causam incurristi, seu incurrisse declaratus es. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti.

Si verò Confessario, sive in foro conscientiæ, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc, postquam absolverit à peccatis, addat consequenter.

Et eâdem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, si sint plures, in quam, vel in quas ob talem, vel tales causas, eas exprimendo, incurristi, & habilem reddo, & restituo te executioni Ordinum, & Officiorum tuorum. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti.

Si nullum habeat Ordinem, dicatur: Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos, vel etiam ad alia, juxta tenôrem mandati.

Quòd si necesse sit titulum Beneficii restituere, & fructus malè perceptos condonare, subjungat.

Et restituo tibi titulum, seu titulos Beneficii, seu Beneficiorum, & condôno tibi fructus malè perceptos. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suæ terminos excêdat.

CANONES POENITENTIALES,

Quorum cognitio Parochis, Confessoribusque necessaria est, dispositi pro ratione, ordineque decalogi.



PAtres docuêrunt, quàm necessaria admodum sit Sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentum confessionibus versantur, canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentiâ solùm, ac pietate, sed justitiâ etiam metienda sunt, certè norma hæc è canonibus pœnitentialibus sumatur, oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tùm ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Sacerdotes Confessarii ità diriguntur, ut ubi singula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolôrem pertinent, accuratè perpenderint, tum demum pœnitentiam judicio, ac prudentiâ suâ moderentur. Atque hæc quidem, omnisque alia, quæ multiplex est, hujus necessariæ cognitionis ratio à Patribus explicata facit, ut, quemadmodum loco suo suprà dictum est, canones pœnitentiales pro decalogi ratione dispositi in ultimam hujus libri partem referantur, unde aliqua eorum notitia ab ipsis Confessariis Sacerdotibus sumi possit.

PRÆ-

PRÆCEPTUM I.

DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS, ET ILLI SOLI SERVIES.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

QUi à fide catholica desciscens intimo, summóque prævaricationis suæ dolôre affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem. Quo temporis spatio decurso, ei communio præstari debet.

Qui dæmoni immolaverit, in pœnitentia erit annis item decem.

Qui more Gentilium elementa coluerit: qui vel segetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus conserendis, vel nuptiis contrahendis inanem signorum fallaciam observaverit, pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui ritu Paganorum observârit Calendas Januarii, in pœnitentia erit annos item duos per legitimas ferias.

Qui festa Gentilium celebrârit, pœnitentiam aget itidem annos duos legitimis feriis.

Qui feriam quintam in honôrem Jovis honoraverit, pœnitens pane, & aquâ victitabit dies quadraginta.

Qui conviviis Gentilium, & escis immolatitiis usus erit, publicam pœnitentiam aget.

Qui comederit de idolothyto, pœnitens victitabit pane, & aquâ dies triginta.

Qui cum Judæo cibum sumpserit, pœnitens erit dies decem pane, & aquâ victitans.

Qui auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens erit annos septem.

Mulier incantâtrix pœnitentiam aget annum, vel, ut alio canone cavêtur, annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam induxerit, aliquid arte magicâ exquirendi causâ, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui ædes magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit, & qui ei consentit, quive consulit, in pœnitentia erit annos quinque.

Qui tempestatum immissor erit, pœnitentiam aget annos septem; tres in pane, & aqua.

Qui verò crediderit, particepsve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si quis ad fascinum præcantaverit, pœnitentiam aget quadragesimas tres in pane, & aqua.

Si quis ligatûras, aut fascinationes fecerit, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis sacrilegus erit, pœnitentiam aget dies quadraginta.

Si quis in codicibus, aut in tabulis, sorte ductâ, res futuras requisierit, pœnitens erit dies quadraginta.

Respiciens furta in astrolabio, annis duobus.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut super se portârit ad evertendum judicium Dei, pœnitentiam aget, ut magus.

Si quis Clericus, vel Monachus, postquàm Deo voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane, & aqua.

PRÆCEPTUM II.

NON ASSUMES NOMEN DEI TUI IN VANUM.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

QUicunque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sinè pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur, & post hæc communionem percipiat. Si

Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel in Cruce consecratâ, Altarîve, pœnitentiam aget annos tres: in Cruce non consecratâ, annum unum.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui sciens pejerat Domini impulsu, pœnitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, quia præcêpit, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos.

Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit, pœnitens erit dies qnadraginta in pane, & aqua, & septem sequentes annos, & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis suspicatur se ad perjurium indûci, ex consensu jurat, pœnitentiam aget dies quadraginta, & septem annos sequentes, & nunquam sinè gravi pœnitentia erit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carînam in pane, & aqua jejûnet, & quandiù vivit, omnes sextas ferias. Item

Si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res suas vendet, & pauperibus distribuet, & Monasterium ingressus jugi se pœnitentiæ subdet.

Si quis coactus, necessitateque aliquâ impulsus perjurium commiserit, in pœnitentia erit quadragesimis tribus. Item

Si quis coactus pejeraverit, pœnitens quadraginta diebus pane, & aquâ victitet, ac præterea omnibus sextis feriis.

Si quis seductus ignôrans, & postea cognoscit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falsum juret, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem annos in pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo se Regi, & Domino suo se astrinxerit, violaverit, in Monasterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

Si quis se jurejurando obstrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec

 pacem

pacem cum eo reconciliet, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, per annum à sacra Communione segregatus, ad charitatem verò celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aquâ, & pane septem dies victitet, si secundò, ac tertiò monitus idem fecerit, dies quindecim: Si per cælum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blasphêmat, tamdiù pœnitens erit, quandiù impœnitens permansit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, pro foribus Ecclesiæ diebus Dominicis septem in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet; ultimòque ex illis die sinè pallio, & calceamentis ligatus corrigiâ circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane, & aqua jejûnet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressûrus; singulis item septem illis diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest, aliôquin aliâ pœnitentiâ afficiatur: recûsans Ecclesiæ ingressu interdicâtur: in obitu ecclesiasticâ sepultûrâ careat. Dives à Magistratu mulctetur pœnâ solidorum quadraginta, aliôqui triginta, seu viginti.

De hoc detestabili peccato extat Sanctio Leonis Decimi Pontificis in Concilio Lateranensi sessione nonâ.

PRÆCEPTUM III.

SABBATA SANCTIFICES.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi opus aliquod servîle die Dominico, festôve fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane, & aqua.

Qui die Dominico opus terrênum fecerit, qui navigârit, aut equitârit, dies septem pœnitentiam aget.

Si

Si quis per contemptum in Dominica jejunaverit, pœnitens erit hebdomadam unam, si iterum, dies viginti, si prætere a tertiùm, dies quadraginta.

Si quis ante Ecclesias, vel die festo saltationes, quas ballationes vocant, fecerit, emendationem pollicitus pœnitentiam aget annis tribus. In græco codice Clericus deponatur, laicus excommunicetur.

Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane, & aqua.

Si quis sacram Communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem, pœnitentiam aget dies decem in pane, & aqua.

Si quis in Ecclesia confabulêtur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane, & aqua.

Si quis festa Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, nisi infirmitate impediente, alio loco celebrârit, quàm ubi domicilium habet, pœnitens erit dies item decem in pane, & aqua.

Si quis jejunia à Sancta Ecclesia indicta violârit, pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac præterea à carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium quatuor temporum non custodierit, pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Qui neglexerit in quatuor his solemnitatibus, die Cœnæ Domini, in Pascha, Pentecoste, & in Natali Domini sacram Communionem sumere, aget pœnitentiam in pane, & aqua dies viginti.

PRÆCEPTUM IV.

HABEAS IN HONORE PARENTES.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

QUI parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane, & aqua.

Qui parentes injuriâ affecerit, tres annos.

Qui percusserit, annos septem.

Qui expulerit, tamdiù pœnitens sit, quandiù in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum pastorem, & patrem suum insurrexerit, uno in loco, Monasteriôve pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ. Addit Gratianus, ut in primis omnia bona ejus proscriptione publicentur, deinde in Monasterio &c.

Eâdem pœnitentiâ afficiatur, qui contra Presbyterum.

Si quis contra Episcopum pastorem, & patrem suum conspiraverit, gradu suo amovebitur. Itidem si insidias tetenderit.

Si quis in eo conspiraverit, ut Episcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel subsannet, aget in pane, & aqua pœnitentiam dies quadraginta. Quâ pœnitentiâ etiam afficiatur, si quis ita conspiraverit, ut ejus ministrorum præcepta contemnat.

Si quis item Presbyteri, Parochive sui præcepta irriserit, pœnitens item erit dies quadraginta in pane, & aqua.

PRÆ-

PRÆCEPTUM V.

NON OCCIDES.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

QUi Presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos duodecim. Item

Si quis Sacerdotem voluntariè occiderit, carne, & vino abſtineat cunctis diebus vitæ ſuæ, quotidie, exceptis feſtis, Dominiciſque diebus, jejûnet, non equitet, non arma ferat, non Eccleſiam ingrediatur quinque annis, ſed pro ejus foribus ſtet. Poſt quinque annos Eccleſiam ingrediatur, licet: nondum verò communicet, ſed inter audientes ſit. Decimi anni curſu confecto, communicet, & equitet, licet.

Qui vel ipſe, vel de ejus conſilio aliquem Eccleſiaſtici ordinis hominem, aut Pſalmiſtam, aut Oſtiarium, aut Lectorem, aut Exorciſtam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum, per ſingulos ordines ſingulariter pœnitentiam agat: pro Pſalmiſta carinam unam, nempe quadraginta dies in pane, & aqua: pro Oſtiario itidem: pro Lectore itidem: pro Exorciſta ſimiliter: pro Acolytho ſimiliter: pro Subdiacono ſimiliter: pro Diacono ſimiliter. Quapropter omnis, qui interfecerit voluntariè Presbyterum, ita pœnitere debet, ut octo homicidia commiſſa, & nunquam debet eſſe ſinè pœnitentia.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis Presbyterum armis contra ſe irruentem occiderit, pœnitens erit annos decem.

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat Corpus Domini, niſi

in obitu, abſtineat à carne, & vino, dum vixerit: Jejûnet ſecundâ, & quartâ, & ſextâ feriâ. Item

Si quis parricidium fecerit, ideſt patrem, aut matrem, fratrem, ſorôrem, patruum, amitam, aut materteram occiderit, ſi caſu, neque per iram fecerit, ut homicidii ſponte commiſſi pœnitentiam aget, ſi ſponte, & iratus, pro foribus Eccleſiæ per annum ſtabit Deum orans. Anno peracto, in angulo Eccleſiæ per annum item ſtabit. Quibus peractis, ſi pœnitentiæ fructus in eo conſpicietur, ſacræ Communionis particeps fiet. Carne abſtinebit totâ vita: quotidie jejunabit, præter dies feſtos: à vino, cerviſiâ, mellîtâ abſtinêbit dies hebdomadæ tres. Pedibus, quocunque ierit, iter faciet: armis nunquam utêtur, niſi contra paganos: uxôrem, ſi non habet, nunquam ducet. Item

Qui voluntariè genitôrem ſuum, aut genitrîcem occiderit, extra patriam ſeptem annis exul fiat: tunc demum uſque ad mortem cum fletu, & gemitu pœniteat. Si autem nolenti accidit, decem annis pœniteat, judicio Sacerdotis.

Qui voluntariè filium ſuum, vel filiam ſuam, vel germânum, aut germânam ſuam occiderit, quinque annis extra metas ipsîus terræ exul fiat: deinceps viginti annis pœniteat. Qui verò voluntariè avum ſuum, vel aviam ſuam, vel nepôtem ſuum, vel patruum, aut avunculum, ſeu amitam, ſive materteram, aut filium, vel filiam germâni ſui, aut germânæ, ſeu conſobrînum ſuum, ſive conſobrînam ſuam occiderit, ideſt à tertia, uſque ad ſeptimam: ſi verò tertia fuerit, duodecim annis inermis pœniteat: ſi quarta, undecim annis pœniteat: ſi quinta, decem: ſi ſexta, novem: ſi ſeptima, octo annis pœniteat. Si autem nolens, arbitrio Sacerdotis pœniteat. Qui voluntariè patrem ſuum, aut matrem, vel filium, aut filiam de ſancto lavâcro, ſeu fratrem, ſive ſorôrem in Chriſto, aut Dominum ſuum, vel Dominam, ſeu uxôrem ſuam occiderit, quinque annis extra metas ipsîus terræ exul fiat: tunc demum quindecim annis inermis pœniteat.

pœniteat. Si verò nolens, ſeptem annis pœniteat. Qui vitricum ſuum voluntariè occiderit, aut novercam, ſeu privignum, ſive privignam, vel ſocrum ſuum, aut ſocram ſuam, ſeu generum ſuum, ſive nurum, decem annis pœniteat. Si verò nolens, quinque annis pœniteat.

Si quis filium non ſponte occiderit, ut homicidii ſponte commiſſi pœnitentiâ afficietur.

Quæ mulier filios ſuos necârit, peractâ ſeptennali pœnitentiâ, in Monaſterium detrûſa monaſticam vitam perpetuò regulariter aget.

Si qua mulier poſt partum filium, filiamve ſponte interfecerit, pœnitentiam aget annos duodecim: & nunquam erit ſinè pœnitentia.

Paupercula, ſi ob difficultatem nutriendi id commiſerit annos ſeptem.

Si qua mulier ſponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos: ſi nolens, quadrageſimas tres. Item

Mulier partum ſuum perdens voluntariè ante quadraginta dies, pœnitens erit annum: ſi veró poſt quadraginta dies annos tres: ſi verò poſtquam editus eſt in lucem, tamquam homicîda.

Quæ ſceleris occultandi causâ filium necârit, pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppreſſerit; ſi poſt baptiſmum, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, oleribus, ac leguminibus: abſtinêbit ab uxôre dies totidem: deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea quadrageſimas in anno obſervabit. Si ante baptiſmum, quadraginta dies, ut ſupra, & quinquennii præterea pœnitentiam explêbit.

Cujus parvulus ſinè baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat; unum in pane, & aqua. Infans infirmus, & pagânus commendetur presbytero: ſi moritur abſque baptiſmo, deponatur: & ſi per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat. Cujus

Cujus filius sinè Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentiâ id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis explendæ causâ libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, homicìda teneatur.

Occidisti uxorem tuam legitimo matrimonio sociatam sinè causa mortis, non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ: non invenisti eam cum alio viro nefariam rem facientem, sed incitatus à diabolo impio, inflammatus furòre, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni belluâ eam gladio tuo interemisti: Et nunc post mortem ejus addis iniquitatem, filiorum tuorum improbe prædo, qui matri non pepercisti, & filios tuos ideò orphanos fecisti, ut superinduceres mortis causam post mortem: Et per unum homicìdam, & reprobum testem incusare vis mortuam; hoc nec Evangelium, nec ulla divìna, humanaque lex concêdit, ut unìus testimonio etiam idoneo aliquis condemnetur, vel justificetur. Quantò magis per istum tam flagitiosum, & scelestum, nec illa viva debuit condemnari, nec tu pòteris post ejus mortem excusari. Priùs causa criminis subtiliter erat investiganda, & tunc si rea fuisset inventa, secundùm legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam. Nam & si verum, quod absit, fuisset, sicut ille adulter mentìtus est, post septem annos, pœnitentiâ peractâ, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses; occidere eam nullatenus debuisti. Duo consilia proponimus tibi: acceptâ tecum deliberatione, duorum elige magis, quod placeat, & miserêre animæ tuæ: & tu hìc in isto angusto tempore positus, ne sis tu ipse tuimet homicìda, & in æternum pereas. Relinque hoc malignum sæculum, quod te traxit ad tam immanissimum peccati facinus: multorum fratrum precibus adjûtus, observa

cuncta

cuncta simplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata, si fortè ignoscat infinita Dei bonitas peccatis tuis. Istud consilium, ut certissimè scias, levius, ac salubrius est, ut sub alterius custodiâ lugeas deflenda peccata. Secundum autem consilium tale est. Arma depône, & cuncta sæcularia negotia dimitte. Carnem, & sagîmen omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Resurrectionis Domini, & uno die Natalis Domini. Ceteris temporibus in pane, & aqua, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas. In jejuniis, & vigiliis, & orationibus, & in eleemosynis persevêra omni tempore. Vinum, & medônem, & mellitam, & cervisiam nunquam bibas, nisi in illis prædictis diebus. Uxorem ne ducas, concubînam non habeas, adulterium non facias, absque conjugio in perpetuo permaneas. Nunquam te in balneo laves, equum non ascendas, causam tuam, & alterius in conventu fidelium non agas. In conviviis lætantium nunquam sedeas, in Ecclesia segregatus ab aliis christianis post ostium humiliter stes, ingredientium, & egredientium orationibus te suppliciter commendes. Communione Sacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes; in ultimo termino vitæ tuæ pro viatico, si observaveris consilium, ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi juxta pondus tanti facinoris essent adjicienda, sed si hæc omnia, quæ supra misericorditer dicta sunt, perfecto corde, Deo auxiliante, perfeceris, & custodieris, confidimus de immensa clementia Dei remissionem tuorum peccatorum te habitûrum; & secundùm boni, justique pastoris imperium, resolvat te sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solûtus in cælis. Sin autem aliter feceris, & Sanctæ Matris Ecclesiæ salûbre consilium despexeris, ipse tibi sis judex, & in laqueo diaboli, quo irretîtus tenêris, maneas, sanguisque tuus sit super caput

tuum,

tuum, & sub indissolubili anathemate permaneas, donec Deo, & Sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Si mulier maritum suum causâ fornicationis venêno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit, quia Dominum, & seniorem suum occîdit, sæculum relinquat, & in Monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum psalmis ejus cadaver sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu communionem recipiat. Si casu necârit, pœnitentiam aget annos septem; ex alterius canonis præscripto, annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicîda pœnitentiâ afficietur.

Alius canon de homicidio voluntario.

Si quis homicidium sponte commiserit, vel odio, vel possidendæ hæreditatis causa, primò jejûnet in pane, & aqua, deinde pœnitentiam agat annis septem. Primo anno, post illos quadraginta dies, à vino, caseo, pisce abstinêbit. In secundo, & tertio similiter jejûnet: tertiam autem, & quintam feriam, ac Sabbatum redimere potest. Reliquis quatuor annis jejunabit in singulis tres quadragesimas, primam ante Pascha, alteram ante diem festum S. Joannis Baptistæ, tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis fecerit homicidium pro vindicta parentum, ita pœnitentiam aget, ut homicîda voluntarius. Itidem pro vindicta fratris.

Qui pro vindicta fratris, annum unum, & in sequentibus duobus annis tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necârit, pœnitentiam aget annos tres.

Si quis jussu Domini homicidium perpetrârit, dies quadraginta in pane, & aqua, & præterea septem annos sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui

Qui in bello publico jussu Principis legitimi Tyrannum interfecerit, pœnitens erit tres quadragesimas per legitimas ferias.

Qui liber, jubente majòre suo, innocentem occiderit, pœnitentiam aget annum unum, & sequentes duos, tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Qui homicidii auctor fuit, ob consilium, quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane, & aqua, cum septem sequentibus annis.

Qui insidiatus est alicui, ut ab aliis occidatur, licèt ipse non occiderit, pœnitentiam aget quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos observàbit.

Qui accusârit aliquem, ob eamque accusatiònem occisus est, quadraginta dies in pane, & aqua, cum septem sequentibus annis in pœnitentia versari debet. Sin autem ob accusationem debilitatus est, tres quadragesimas pœnitêbit per legitimas ferias.

Qui insânus homicidium perpetrârit, leviòrem pœnitentiam explêbit.

Qui publicè pœnitentem occiderit, tamquam de homicidio sponte commisso duplicem pœnitentiam aget.

Qui furem, aut latrònem interfecerit, quadraginta dies ab Ecclesiæ ingressu abstinêbit, & præterea in tertia feria, & in sexta, & Sabbato jejunabit.

Si quis casu homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua: his peractis, biennio ab oratione fidelium segregatus non communicabit, neque offeret. Post biennium, in communionem orationis suscipietur: offeret autem, non tamen communicabit. Post quinquennium ad plenam communionem recipietur, à cibis abstinêbit arbitratu Sacerdotis.

Qui hominem tamquam feram aliquam latentem inopinatò occiderit, quadraginta dies pœnitentiam aget in pane, & aqua, & quinque sequentes annos arbitratu Sacerdotis.

Si

Si plures homines unum per rixam adorti occiderint, quicunque eorum plagam ei inflixerit, tamquam homicida pœnitentiam aget.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit, pœnitentiam aget annis septem, tres in pane, & aqua. Sin autem voluerit, nec verò potuerit, tres tantùm annos. Si quis nolens homicidium patràrit, pœnitêbit quinque annis, & duobus in pane, & aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias: sique cicàtrix gravis est, ut vulneratum deformem reddat, quadraginta etiam dies pœnitêbit in pane, & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane, & aqua: Clericus, unius anni, & mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit, solûtà medicamenti impensà, si laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua; si Clericus, duas quadragesimas; si Diaconus, septem mensibus; si Presbyter, uno anno.

Si quis Episcopus homicidium fecerit, in pœnitentia sit quindecim annis, dignitatisque gradu amoveatur, vitæque suæ cursum peregrinando conficiat. Presbyter pœnitens erit annos duodecim; quatuor ex his in pane, & aqua, & sacerdotii gradu privetur. Diaconus annos decem; tres ex his in pane, & aqua. Clericus inferioris ordinis, annos septem; tres in pane, & aqua.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

PRÆ-

PRÆCEPTUM VI.

NON FURABERIS.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro; quod sustulit, reddet, & tres carînas cum septem sequentibus annis pœnitêbit.

Qui sacras reliquias furatus est, illis restitûtis, septem carînas jejunabit.

Pecuniam ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet; si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem.

Si quis vel ecclesiasticas oblationes rapuerit, vel rapientibus consenserit, quadruplum restituet, & canonicè pœnitens erit.

Sacrilegus, rerumve ecclesiasticarum invâsor, uno anno extra Ecclesiam Dei maneat: secundo anno pro foribus Ecclesiæ sine communione maneat: tertio anno in Ecclesia inter audientes sit sinè oblatione: carne, vinôque abstineat, præterquàm in Pascha, & die Natali: quarto anno, si fructuosus triennio pœnitentiæ fructus extiterit, communioni fidelium restituatur eâ lege, ut spondeat, se in posterum tale quidquam non commissurum, ac præterea sinè esu carnis, & potatione vini, usque ad septennium pœnitens permanêbit.

Qui Ecclesiam incenderit, illam restituet, pœnitentiam aget annos quindecim, & pretium det pauperibus.

Itidem, qui incendio consenserit.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causâ, incendium commiserit, committive jusserit, curaverit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit, ex-

communicêtur: si mortuus erit, christianâ sepultûrâ carêbit. Nec verò absolvêtur, nisi damnum pro facultatibus resarciverit, juretque se in posterum tale facinus nunquam admissûrum. Pœnitentia præterea hæc ei constituêtur, ut Hierosolymis, aut in Hispaniâ in servitio Dei totum annum permaneat.

Si quis sepulcrum violaverit, pœnitens erit annos septem, è quibus tres in pane, & aqua.

Qui sepulcrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadrùplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

Qui hospitalis domus administrator aliquid de administratiòne subtraxerit, restituet, quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit, reddet ei suum, & pœnitens erit dies triginta in pane, & aqua.

Clericus furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explêbit, laicus quinquennii, & quod furatus est, reddat.

Si quis, per necessitatem, cibum, vel vestem furatus sit, in pœnitentia erit hebdomadas tres, si reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit noctu alicujus domum, aut aliquid auferet, pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane, & aqua: si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minôri semel, aut bis fecerit, restitûtâ re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit, idcirco tamquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis usûras accipit, rapînam facit; idcòque quicunque illam exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

PRÆ-

PRÆCEPTUM VII.

NON MOECHABERIS.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

SI laicus solûtus cum fœmina solûta concubuerit, pœnitens erit annos tres: & quantò sæpius, tantò majôri pœnitentiâ afficietur.

Itidem, qui cum ancillâ coierit.

Uxor, conscio viro, mœchata, ne in obitu quidem communicabitur: si dignam pœnitentiam egerit, post decem annos sacram Communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, & septem præterea annos, è quibus unum in pane item, & aqua.

Si quis conjugem fornicari consenserit, diebus omnibus vitæ in pœnitentia erit arbitrio perîti Sacerdotis.

Vir solûtus si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem: mulier quinque.

Mulier solûta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentiâ afficietur decennâli: ille quinquennâli.

Si quis maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annos quinque.

Si sæpius mœchatus est, in fine mortis est conveniendus: sique promiserit se cessatûrum, dabitur ei communio.

Qui sæpe fornicatur laicus cum laica, pœnitentiam aget tres annos.

Si quis uxorem simul, & concubînam habuerit, in pœnitentia erit annos septem, & ampliùs pro ratione culpæ.

Maritus, si ancillâ concubînâ utitur, pœnitentiam aget annum unum, quadragesimas tres, & legitimas ferias tribus mensibus; illa, si invîta violatur, quadraginta dies, si con-

ſentiens, quadrageſimas tres, & legitimas ferias.

Qui cum uxòre ſua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adoleſcens cum virgine peccàrit, pœnitentiàm aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinòsè obtrectaverit; ſi Clericus eſt, quinque dies; ſi Laicus, tres dies pœnitentiam aget: Monachus, vel Sacerdos à miniſterio ſuſpenſus pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere ſe lavaverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupiverit virginem, quam poſtea uxòrem duxerit, pœnitentiam aget annum unum per legitimas ferias: ſi verò non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Si quis mulierem alii deſponſam in matrimonium duxerit, eam dimittet, & pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua, cum ſeptem annis ſequentibus.

Vidua, quæ ſtuprum admiſerit, pœnitentiam aget annum totum, & præterea in altero anno dies jejuniorum.

Si quis cum uxòris ſuæ ſoròre per imprudentiam fornicationem admiſerit, pœnitentiam ſibi indictam aget, ſi probaverit ſe tale ſcelus inſcienter feciſſe.

Cum duabus ſororibus fornicatus, pœnitentiàm aget toto ſuæ vitæ tempore. Item

Qui cum duabus ſororibus, vel cum noverca, vel cum ſorôre ſua, vel cum amita, vel cum nuru, vel qui denique inceſtum admiſerit, ab ingreſſu Eccleſiæ abſtinêbit annum unum; quo anno, præter feſtos dies, pane ſolùm, & aquâ utêtur, arma non feret, oſculum nemini præbêbit, ſacram communionem, niſi pro viatico, non ſumet; ſex deinde annis Eccleſiam ingredietur: ſed carne, & vino, & ſicerâ non utêtur, niſi feſtis diebus. Poſtea verò duobus annis, quando carne veſcêtur, à potu vini abſtinêbit: quòd ſi biberit, carne non veſcêtur, niſi Dominicis diebus, & præcipuis feſtis:

stis: deinde usque ad obitum perpetuò, præter festos dies, à carne abstinêbit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis jejunabit, & quadragesimas tres singulis annis legitimè custodiet.

Qui incestum fecerit, ei alii annorum duodecim, alii quindecim, alii decem, alii septem, pœnitentiam constituunt.

Quicunque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, dignitatis honôrem amittet, & perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni muneris sui functione mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim; deinde in Monasterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo serviet; fœmina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in Monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus.

Si Episcopus hoc admiserit, pœnitentiam aget annos quindecim.

Qui Monialem violârit, pœnitens sit annis decem.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus mensibus à ceteris remôtus pane, & aquâ jejunabit: diebus autem festis modico vino, pisciculis, & legumine utetur: sacco indûtus humi cubabit, diu, noctuque misericordiam Dei implôrans. Deinde unum annum, & sex menses in pœnitentia, jejunioque panis, & aquæ explêbit, præter festos dies, in quibus vino, & sagimine, caseo, ovisque canonicè uti poterit. Finito primo anno, & dimidio, sacræ Communionis particeps fiet: psalmos in choro ultimus canet: officia minôra geret. Posteà verò quàm septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore, præter paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane, & aqua jejunabit. Explêto septennio, usque ad finem decimi anni sextam feriam in pane, & aqua jejunabit.

Qui cum brutis coierit, pœnitentiâ afficietur annorum decem, & diuturniori etiam, pro personæ conditione.

Qui contra natûram coierit: si servus est, scopis castigabitur, & pœnitebit annos duos: si liber est, & matrimonio junctus, annos decem: si solûtus, annos septem: pueri dies centum: laicus matrimonio conjunctus, si in consuetudine habet, annos quindecim: si Clericus, de gradu amôtus, ut laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinêbit, pœnitensque erit annos quindecim: si Clericus diuturniori, & graviori pœnitentiâ afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans pœnitentiâ afficietur duorum annorum. Vir se inquinans primò, dies decem; si iterum, dies viginti; si tertiò, dies triginta; sique nefariè agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta: si major quindecim annis, dies centum.

Puer parvulus oppressus à majore, hebdomadam jejunabit: si consenserit, dies viginti: si coinquinatus erit, dies centum: si voluntatem suam expleverit, annum unum.

Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur, pœnitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectûque polluitur negligens, nec verò peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti: si verò impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pœnitêbit item dies viginti.

Quicunque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias. Item

Qui hoc facinus admiserit, sacram Communionem non accipiet, nisi in fine.

Si quæ mulier cerussâ, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentiâ afficietur annorum trium.

PRÆ-

PRÆCEPTVM VIII.

NON FALSUM TESTIMONIUM DICES.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

QUi affirmârit verum, quod falſum eſt, pœnitentiam aget, ut adulter: ut homicîda, qui ſponte id facinus admiſerit.

Qui falſo teſtimonio conſenſerit, pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falſum crimen objicit, pœnitentiâ afficitur, ut falſus teſtis.

Qui proximo peccatum imputârit, priuſquam ſeorſum eum arguerit, primùm illi ſatisfaciens, pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contra proximum linguâ laſcîvus erit, triduânâ pœnitentiâ expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget, pro culpæ gravitate.

Si quis convicium manifeſtum fratri intulerit, diuturnâ expiabitur pœnitentiâ, pro modo peccati.

Si quis facilè detraxerit, fálſumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies ſeptem in pane, & aqua,

Qui falſitatem, fraudemve in ponderibus, & menſûris admiſerit, pœnitens erit in pane, & aqua dies viginti.

Falſarius in pane, & aqua pœnitentiam agat quandiu vivit.

PRÆCEPTUM IX.

NON CONCUPISCES REM PROXIMI TUI.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

REm alienam nefariè concupiſcens, avaruſque, pœnitens erit annis tribus.

Qui aliêna furari concupiſcit, furtum eſt: qui item aliêna rapere cupit, rapîna eſt: qui res Eccleſiæ furari appetit, ſacrilegium eſt: ideò, cum nefariè concupiſcendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretioſam invenire cupit, ut illam ſibi retineat, mortale peccatum concipit, cujus pœnitentiam aget, ut ſupra dictum eſt de furto.

PRÆCEPTUM X.

NON DESIDERABIS UXOREM PROXIMI TUI.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccârit.

SI quis concupiſcit fornicari: ſi Epiſcopus, pœnitens erit annos ſeptem: ſi Presbyter, quinque: ſi Diaconus, vel Monachus, tres, è quibus unum in pane, & aqua: ſi Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si quis in ſomnis ex immundo deſiderio polluitur, ſurgat, & cantet ſeptem Pſalmos pœnitentiales, & die, triginta.

Si Clericus, aut Laicus ex malâ cogitatione, concupiſcentiâque ſemen effuderit, pœnitens erit dies ſeptem.

CANO-

CANONES POENITENTIÆ

De septem peccatis capitalibus.

CApitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpote è quibus omnia vitia principium habent, sunt superbia, vanagloria, avaritia, luxuria, invidia, ira, gula, & accidia.

Pro capitali, mortalique crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati gravitas, & personæ status severiorem, diuturnioremque pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget laicus annos quatuor, Clericus quinque, Subdiaconus sex, Diaconus septem, Presbyter decem, Episcopus duodecim.

Sed demonstratæ jam paulò ante sunt pœnitentiæ, quæ ex canonum disciplinâ constituuntur ferè pro peccatis mortalibus, quæ ex his septem capitalibus vitiis originem trahunt. Pro gulę autem vitio sunt hi præcipui pœnitentiæ canones.

CANONES POENITENTIÆ

De gula, & ebrietate.

SAcerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aquâ pœnitentiam agat dies septem; si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus, & alius Clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane, & aquâ mensibus tribus; si Clericus viginti dies.

Laicus ebriôsus graviter arguatur, & pœnitentiam agere à Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratiâ alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem: si per contemptum, dies triginta.

Qui ad bibendum invitat plus, quàm naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Qui præ ebrietate, & crapulâ vomitum fecerit, si Presbyter, aut

aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadraginta.

Si Monachus, aut Clericus, dies triginta.

Si Laicus, dies quindecim.

Si Laicus item à vino, & carne abstineat dies tres.

Si quis gulæ causâ ante horam legitimam jejunium fregerit, duos dies pœnitentiam aget in pane, & aqua.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut inde dolorem senserit, unum diem pœnitentiam in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ

De variis peccatis.

SI quis Sacerdos Missam canit, neque communicat, per annum pœnitentiam agat, nec verò interea celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebrat, tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis feriâ secundâ, quartâ, & sextâ à vino, & carnibus jejûnet.

Sacerdos sacerdotii sui gradu, ordineque in perpetuum amôtus, si celebrare audet, privâtur communione Corporis, & Sanguinis Jesu Christi usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, viaticum tantùm in fine sumens.

Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit, Sacerdos in pœnitentia sit quinquaginta diebus; si super Altare, & ad pannum unum transit, diebus duobus; si usque ad pannos duos, diebus quatuor; si usque ad tres, diebus novem; si usque ad quatuor, viginti diebus.

Si incautè dimisit, quamvis nil nefandi acciderit, tribus mensibus à sui muneris administratione amovêtur.

Qui per ebrietatem Eucharistiam evomit; si laicus est, quadraginta diebus; si Clericus, sexaginta; si Episcopus, nonaginta diebus; si infirmus pœnitentiam agat diebus septem.

Scienter rebaptizatus, si propter hæresim hoc sceleris admittit, pœnitentiâ afficiatur septem annorum, quartâ, & sextâ feriâ jejûnans, & tribus item quadragesimis pane, & aquâ.

Si verò pro munditia hoc facere putârit, eum pœniteat tri-

bus annis: quòd si ignoranter, non peccat, sed ideò non promovendus, licèt sit excellens.

Si Episcopus, Presbyter, Diaconusve sponte est rebaptizatus, quandiu vivit, pœnitens sit. Alii verò Clerici, & Monachi, & Moniales ab hæreticis volentes rebaptizari, pœnitentiam agant duodecim annis.

Sacerdos, qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovêtur.

Sacerdos, qui palliis altaris mortuum involvit, pœnitens sit decem annis, & quinque mensibus: Diaconus autem annis tribus, & sex mensibus.

Qui legata pia Ecclesiæ non solvit, uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos, aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane, & aquâ victitans.

Declarationes ex pœnitentiali Romano.

POenitentia unius anni, qui in pane & aqua jejunandus est, talis esse debet. In vnaquâque hebdomada tres dies, idest, secundam feriam, quartam, & sextam in pane, & aqua jejûnet, & tres dies, idest tertiâ feriâ, & quintâ, & Sabbato à vino, medône, mellito, cervisiâ, à carne, & sagimine, & à caseo, & ovis, & ab omni pingui pisce se abstineat: mandûcet minûtos pisciculos, si habere potest; si habere non potest, tantùm unius generis piscem, & legumina, & olera, & poma, si vult, comedat, & cervisiam bibat. Et in diebus Dominicis, & Natalis Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini unum diem, & in Pascha usque in octavam diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa S. Joannis Baptistæ, & S. Mariæ, & duodecim Apostolorum, & S. Michaëlis, & S. Remigii, & omnium Sanctorum, & S. Martini, &

in

in illius Sancti festivitate, qui in illo Episcopio celebris habetur: in his supradictis diebus faciat charitatem cum ceteris christianis, idest utatur eodem cibo, & potu, quo illi: sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

Poenitentia secundi anni talis esse debet, ut hos duos dies, idest, secundam feriam, & quartam in unaquaque hebdomada jejûnet, usque ad vesperam, & tunc reficiatur de sicco cibo, idest pane, & leguminibus siccis, sed coctis, aut pomis, aut oleribus crudis; unum eligat ex his tribus, & utatur, & cervisiam bibat, sed sobriè, & tertium diem, idest sextam feriam in pane, & aqua observet: & tres quadragesimas jejûnet, primam ante Natalem Domini, secundam ante Pascha, tertiam ante Missam S. Joannis; & si totam quadragesimam ante Missam S. Joannis implêre non possit, post Missam impleat. Et in his tribus quadragesimis jejûnet duos dies in hebdomada ad nonam, & de sicco cibo comedat, ut supra notatum est, & sextâ feriâ jejûnet in pane, & aqua. Et in diebus Dominicis, & in Natali Domini illos quatuor dies, & in Epiphania Domini unum diem, & in Pascha usque in octavum diem, & in Ascensione Domini, & in Pentecoste quatuor dies, & in Missa S. Joannis Baptistæ, & Sanctæ Mariæ, & duodecim Apostolorum, & Sancti Michaëlis, & Sancti Remigii, & omnium Sanctorum, & Sancti Martini, & in illius Sancti festivitate, qui in illo Episcopatu celebris habetur, in his supradictis diebus faciat charitatem cum ceteris christianis, sed tamen ebrietatem, & ventris distensionem semper in omnibus caveat.

Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, quinquaginta psalmos genibus flexis in Ecclesia, si fieri potest, decantet, sin autem, in loco convenienti eadem faciat, & unum pauperem pascat, & eodem die, excepto vino, carne, sagimine, sumat quidquid velit.

Qui

Qui in Ecclesia genua centies flexerit, ideſt ſi centies veniam petierit, ſi fieri poteſt, ut in Ecclesia fiat, hoc juſtiſſimum eſt: ſi autem hoc fieri non poteſt, ſecretè in loco convenienti eadem faciat: ſi ſic fecerit, eo die, excepto vino, carne, & ſagimine, ſumat quod placeat: qui pſalmos non novit, unum diem, quem in pane, & aqua pœnitêre debet, dives tribus denariis, & pauper uno denario redimat, & eo die, excepto vino, carne, & ſagimine, ſumat quidquid velit.

Qui verò pſalmos non novit, & jejunare non poteſt, pro uno anno, quem in pane, & aqua pœnitêre debet, det pauperibus in eleemoſynam viginti duos ſolidos, & omnes ſextas ferias jejûnet in pane, & aqua, & tres quadrageſimas, ideſt quadraginta dies ante Paſcha, & quadraginta dies ante feſtivitatem S. Joannis Baptiſtæ; & ſi ante feſtivitatem aliquid remanſerit, poſt feſtivitatem adimpleat; & quadraginta dies ante Nativitatem Domini. In his tribus quadrageſimis quidquid ſuo ori præparatur in cibo, vel in potu, vel cujuſcunque generis illud ſit, æſtimet quanti pretii ſit, vel eſſe poſſit, & medietatem illius pretii diſtribuat in eleemoſynam pauperibus, & aſſiduè oret, & roget Deum, ut oratio ejus, & ejus eleemoſynæ apud Deum acceptabiles ſint.

Item qui jejunare non poteſt, & obſervare quod in pœnitentiali ſcriptum eſt, faciat hoc, quod Sanctus Bonifacius Papa conſtituit. Pro uno die, quem in pane, & aqua jejunare debet, roget Presbyterum, ut Miſſam cantet pro eo, niſi ſint crimina capitalia, quæ confeſſa priùs lavari cum lacrymis debent; & tunc ipſe adſit, & audiat Miſſam, & devotè ipſe offerat propriis manibus panem, & vinum manibus Sacerdotis, & intentè reſpondeat, quantum ſapit, ad ſalutationes, & exhortationem Sacerdotis, & humiliter Deum deprecêtur, ut oblatio, quam ipſe Presbyter pro ſe, & pro peccatis ſuis Deo obtulerit, Deus omnipotens miſericor-

ricorditer per Angelum suum suscipere dignetur, & eo die, excepto vino, & carne, & sagimine, comedat quidquid vult: & sic redimat reliquos anni dies.

Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit undè possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti: si non habuerit, unde tantum dare possit, det solidos decem: si autem multùm pauper fuerit, det solidos tres. Neminem verò conturbet, quia jussimus dare solidos viginti, aut minùs: quia, si dives fuerit, faciliùs est illi dare solidos viginti, quàm pauperi tres: sed attendat unusquisque cui dare debeat, sive pro redemptione Captivorum, sive super sanctum Altare, sive Dei servis, sive pauperibus in eleemosynam.

Qui non potest sic agere pœnitentiam, ut superiùs diximus, faciat sic. Si tres annos continuos jejunare debet, & non potest, sic redimere potest. In primo anno eroget in eleemosynam solidos viginti sex, in secundo anno eroget in eleemosynam solidos viginti, in tertio anno solidos decem, & octo, hi sunt sexaginta quatuor solidi. Potentes autem homines plus dare debent, quia, cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Et qui illicita committunt, etiam à licitis se abstinêre debent, & corpus debent affligere jejuniis, vigiliis, & crebris orationibus: caro enim læta trahit ad culpam, afflicta redûcit ad veniam.

Aliæ declarationes breves.

Confessarius cum ex iis, quæ conscripta sunt, intelligat, pro ratione & temporum, & personarum, diversas pœnitentias fuisse, earumque redimendarum certam rationem adhibitam esse; arbitrio tamen suo illis omnibus mitigandis, moderandisque aget, ut initio traditum est.

De Pœnitentia per legitimas ferias constitûta, Confessarius animadvertet eo nomine intelligi feriam secundam, quartam, & sextam, canonum legibus pœnitentiæ, jejuniôque præscriptam.

Cari-

Carinæ jejunium, quod aliquando pœnitentiali canone cavêtur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane, & aqua fiebat, ut ſæpenumero Burchardus interpretatur. Carînam alii dicunt, quidam carênam, alii carentênam, alii quadragênam.

Pœnitentia per tres quadrageſimas indicta ita intelligitur, ut cui imponebatur, is in anno pane, & aquâ jejunâret quadrageſimas tres, quarum prima eſt ante diem Natalem Domini, altera ante Paſcha Reſurrectionis, tertia, quæ ſcilicet per dies tredecim ante diem Feſtum S. Joannis Baptiſtæ agebatur, quemadmodum ex Concilii Saleguſtadienſis decreto perſpici poteſt.



DE

DE VISITATIONE, ET CURA INFIRMORUM.

Rubricæ, seu instructiones.



Mni tempore Parochus gregi suo invigilare debet: sed cum primùm aliquis ejus curæ commissus in morbum incidit, tunc maximè omnem Parochialis charitatis diligentiam ipse in eo ponet, ut ægrotantem in via salûtis rectè dirigat, & à nequissimi Dæmonis insidiis, conatibusque tueatur, ac defendat præsidio salutarium adjumentorum. Quod Concilio Agathensi olim piè cautum est, id Synodo Provinciali renovatum idem Parochus præstare curet, ut, Missâ celebratâ, si quos in Parochiali vicinia habet, frequenter, atque adeò quotidie, cum per alias Parochialis curæ suæ occupationes potest, visitet, eisdemque præstet, prout opus esse viderit, officia charitatis, & solicitudinis Parochiali muneri suo conjuncta.

Quamobrem non expectabit, dum ab ægrôto vocêtur, sed ipse ultro ad illum veniet.

Parochiales item suos & universè, & singillâtim sæpenumero, prout occasio feret, hoc monêbit, ut se accersant, cum primùm aliquis in febrim, morbumve inciderit.

Et verò quoniam aliis Parochialis curæ officiis aliquando fortasse distinêri potest, propterea Parochiæ suæ Sacerdotes, si quos habet, aut saltem laicos aliquot homines virtûte, & vitæ spiritualis usu præstantes deliget, qui ægrôtum adeant, rectèque cohortentur, cum ad vim morbi patien-

ter

ter in Domino ferendam, tum ad alia christianæ pietatis officia præstanda.

Ad ægrôtas mulieres etiam accêdet; sed sibi comitem adjungere curabit virum vel Ecclesiasticum, vel laicum sanctæ charitatis operibus deditum; & omnino nunquam erit in cubiculo solus: & cum necesse fuerit ob pœnitentiæ Sacramentum ministrandum, patenti tamen ostio id præstabit.

Illis maximè visitandis, & consolandis assiduam charitatem navabit, qui rerum omnium indigentiâ, & morbi acerbitate miserabilem in modum afflicti curationem difficillimam experiuntur, quorum paupertatem commôtus zelo pietatis ita sublevabit, ut & ipse, si per facultates potest, de suo aliquid eroget, & aliorum eleemosynas conquîrat, & eo nomine collectas certis diebus in Ecclesia edicat ad præscriptum Concilii Quarti Provincialis.

Parochum propinquum, & Sacerdotem item, Clericumque Parochialis viciniæ suæ cum ægrotare audierit, quamprimùm invîsat, si præsertim aliorum ope destitûtum videat, consoleturque in primis remediis animæ salutaribus, & adjumentis corporis valetudini opportûnis.

De ægri statu, genereque morbi, adversâve valetudine perquîret; ejus item mores, vitam, actiones, negotiaque, ut sciat salubria dare consilia, opportunaque adhibêre remedia, omnîque sanctâ consolatione juvare.

Cum ad illum veniet, super eum orabit ratione inferiùs descriptâ; neque semel tantùm, sed sæpius, & quotiescunque opportûnè id facere poterit: poteritque uti modò unâ, modò aliâ ex formulis precum, & sacrarum lectionum, quæ inferiùs apponuntur.

Accêdet Parochiali vestitu de more, sinè superpelliceo, indûtus.

Cohortationes, & monita ad ægrôtum.

PRæmeditatus veniet, ut habeat argumenta ad persuadendum apposita, ac præsertim exempla Sanctorum, quæ re-

ctè, aptèque adhibita valde commovent. His autem cohortationum locis uti poterit, etiam aliis, qui adſint, paululum ſecedere juſſis, ita ut non audiant, ſi ita opus eſſe quandòque viderit.

Hortabitur ut febrim, ægritudinemve, in quam incidit, patienter ægrôtus in Domino ferat, gratiaſque ei agat de ægrotatione, quâ corpus affligitur, cum inde animæ utilitas ſalutaris exiſtere poſſit, ſi verè, pièque charitatem Dei erga ſe agnoſcens confirmabit ſe ipſum in omni patientia, unde fructum uberrimum capiet.

Demonſtrare poterit à Deo, qui fons eſt omnium bonorum, factum eſſe, ut infirmus proſperam corporis valetudinem amiſerit, quoniam illius animæ ſalutariter conſultum eſſe vult emendatione vitæ anteactæ.

Si verò ægrum diſciplinæ ſpiritualis, ſanctarumque virtûtum ſtudioſum eſſe animadverterit, morbi vim à Deo illâtam eſſe oſtendet, ut in ſpiritualis vitæ curſu, quem ſuſcêpit, majòri progreſſione versêtur, atque adeò perfectiùs inſiſtat.

Habêbit etiam Parochus alios locos, quibus infirmum excitabit ad patientiam chriſtiano homine dignam, & ad fructum ex invaletudine capiendum.

Monêbit etiam, ut ne Dæmonis aſtu, neque medicorum pollicitationibus, nec propinquorum, aut amicorum, domeſticorumve blandis cohortationibus, ſe ullo modo decipi ſinat, quò minùs in ea, quæ ſibi ſalutaria ſunt, incumbat.

Quare hoc infirmo ſuadêre ſtudêbit, ut, quod item S. Ambroſius ſacris ſcriptûris monet, ſalutare Dei inprimis concupiſcat, nempe Chriſtum Dominum, ſicque animæ æternam ſalûtem primò expetens, quærat deinde, quæ ad corporis valetudinem attinent.

Quæ quidem Parochus, pro ratione morbi, & ægrôti conditione, majòri ſtudio, efficaciâ, vel amplificatione etiam aget.

Vi-

Vidêbit an aliquid domi, præsertim in cubiculo illîus, sit, quod cum disciplinæ christianæ moribus minùs conveniat.

Sacras imagines Christi Domini Crucifixi, Beatæ Marîæ Virginis, & Sancti præsertim appóni curabit, quem æger præcipuè veneratur, quemve patronum cælestem sibi delêgit. Si verò neminem potissimùm delegerit, ut deligat, ejusque sacram imaginem domi, in cubiculôque præsertim habeat, Parochus studêbit.

Vasculum aquæ benedictæ, quando collocatum non sit, collocari jubêbit propè lectum, ubi jacet.

Monêbit ut eleemosynas det quamplurimas, pro facultatum scilicet ratione, & modo.

Ut pro se orationem, supplicationemque à religiosis hominibus fieri postulet, omnîque ratione curet.

Ut item domi suæ pro se, dum æger est, familia quotidie certâ horâ precêtur.

Ut ipse, cum per morbum potest, aliquid piè meditêtur de vanitate mundi, de exemplis patientiæ, de fructu tribulationum, de cælesti gloria.

Ut quotidie, si per valetudinem potest, vel Corônam Beatæ Marîæ Virginis; vel, si litteras norit (quod S. Augustinus fecisse traditur, dum æger fuit) Septem Psalmos Pœnitentiales piè recitet; aut omnino aliquid precum pro viribus suis adhibeat.

Si Sacerdos, aut alicujus sacri ordinis homo est, qui divini officii recitandi lege adstrictus sit, suadêbit, ne recitare facilè omittat, nisi vi morbi tandem coactus, & de consilio Confessarii, & Medici.

Propônet etiam ægrotanti, prout illîus conditio tulerit, aliquas breves orationes, quas jaculatorias dicimus; præsertim è Psalmorum libro sumptas, quæ facilè in promptu sint.

Pollicebitur quoque se pro eo in Missæ sacrificio, aliôque tempore piè oratûrum, curaturumque, ut Parochiales itidem pro eo faciant. Id verò ipse omnino præstabit, collectam

pro eo dicens, aut saltem orans, idque frequenter pro ægri necessitate.

Ideò denuntiabit etiam populo singulis diebus Dominicis orationem pro ægrôtis parochiæ suæ.

Monêbit ut, cum convaluerit, primò ad Ecclesiam veniat, ubi super eum orationes dicantur; quod in multis Ecclesiis pii, frequentisque est institûti.

De Confessione.

HOc in primis suadêbit, ut de peccatis confiteatur, idque maximè studêbit, ut ad generalem de tota vita anteacta confessionem illum indûcat: proindeque ejus utilitates, fructusque salutares brevi enarrabit, quos inde capiet.

Si verò æger se difficilem præbêbit, ut aut confitêri nolit, aut confessionem longiùs differre velit, ejus rei causam Parochus studiosè perquîret: quæ undè accidat, ubi animadverterit, tunc illam appositis rationibus amovêre studêbit; sique rectè, salutariterque suadendo illum à proposito deducere non potest, ne tamen ei confitendi tempus prorogetu ultra quàm liceat, nisi re primùm cum Archiepiscopo, aut ejus Vicario communicatâ.

A Medicis autem opportûnè contendet, ut sacris decretis, Pontificiæque Constitutioni S. Pii Quinti obtemperantes, ad illum invisendum, curandumque non accêdant post præscriptum tempus, nisi ex Confessarii scripto cognoverint, eum de peccatis confessum esse.

Et quoniam causa, quamobrem ille confitêri nolit, aut differat, multiplex, & varia esse potest, utpote vel desperatio, quam ex peccatorum magnitudine, multitudineve concêpit, vel affectus alicujus peccati, quod abiicere nolit, vel accidia quædam, quâ fiat, ut is labôrem se disponendi exhorrescat, vel alia gravis causa, quæ eum à confitendo deterreat; ideò benè notos habêbit locos, rationes, & argumenta suadendi, vel dissuadendi, prout causa tulerit, quâ æger impedîtur, aut deterrêtur.

Quam-

Quamobrem aliquod ſtudium in iis libris legendis ponet Parochus, quorum doctrinis methodus traditur ad eos, qui moriuntur, juvandos.

Cum ægrum autem, vel ejus ſponte, vel hortâtu, admonitioneque ſuâ Parochus ad confeſſionem accenſum viderit, tunc ad confitendum condicet diem, & horam ei commodam; niſi tamen periculum ſit in mora: nam ſi morbi vis nullam dilationem patiêtur, cum eo aget, ut confeſtim confiteatur. Si item eo ipſo tempore præparatus videbitur, ejus confeſſionem audiet, in qua, ſi illum vel morbo, vel imperitiâ, vel timôre in enumerandis, diſcernendiſque peccatis impedîtum eſſe animadverterit, adjumentum pro charitate, prudentiâque ſuâ ei afferet.

Si fœminæ confeſſionem audiat, oſtio patenti id præſtet.

Curet ad id munus exequendum ſuperpelliceum, & ſtolam paratam habêre.

Sacræ omnino decentiæ conſulere ſtudeat, quàm maximè pro loco, & tempore poteſt, ex ordine ſacræ pœnitentiæ miniſtrandæ ſupra explicato.

Neque omittat teſtimonium confeſſionis ſcribere, ne pœnam incurrat, de qua ſupra in Sacramento pœnitentiæ dictum eſt.

Pœnitentiam ne ideò tamen nimis levem impônet, quòd juſta ab homine jacente non poſſit præſtari, ſi probabile ſit, quòd convaleſcet, & tunc præſtare poterit, quod non potuerat jacens. Quòd ſi credibile ſit, eum non ampliùs ſurrectûrum, rationes pœnitentiæ juſtæ eliget, quæ poſſint præſtari à jacente, veluti magnam eleemoſynam pro facultatum modo.

Suadêbit verò ſemper, ut morbi afflictiones pœnitentiæ loco libenter accipiat, Dominôque pro peccatis ſuis offerat.

Item ut Indulgentiam conſequi curet ex Pontificia, ſeu Archiepiſcopali conceſſione.

De Communione.

COhortabitur ægrôtum Parochus, ut facram communionem fumat, etiamfi graviter non ægrôtet, maximè fi feſti alicujus celebritas id fuadeat, neque ipſe miniſtrare recuſabit fæpiùs in eâdem infirmitate, pro devotione, & deſiderio ægrôti; præfertim fi ille, cum valet, folet frequentare: de quo in Concil. Provinc. 4. decretum eſt.

Pro viatico miniſtrabit, cum probabile eſt, quòd eam ampliùs fumere non poterit: cavêbit autem, ne ita cunctêtur, ut periculum adeat ægrôtus moriendi, priuſquam fumat.

Cum præterea, poſteaquam viaticum, extremamque etiam unctionem æger fuſcêpit, aliquot dies fuperſtes fibi facram Communionem miniſtrare petit, ejus pio defiderio Parochus non deerit.

Ut quo maximo poteſt, ac debet, pietatis ſtudio, & fidelium frequentiâ ad ægrôtos ſanctiſſima Euchariſtia deferatur, hæc, ut infra, Parochus diligenter curabit, atque exequêtur.

Primùm in ſua Parochiali Eccleſia Confratriam Corporis Chriſti inſtituet, præſcriptis regulis.

Aget cum unoquoque Patrefamilias, ut, cum fignum campanæ eo nomine datur, ipſe in Eccleſiam Parochialem ad comitandum tantum Sacramentum conveniat, aut faltem filium natu majorem, aut omnino aliquem ex familia ob eam cauſam mittat, habeatque præterea domi unam, pluresve candelas, cereosve, quibus in hoc pietatis chriſtianæ officio utatur.

Populum præterea fæpiſſimè cohortabitur, ut frequens ſemper, omnique animi pietate, ac religione venerabile Sacramentum comitêtur.

Neque hoc monêre deſiſtet, ut, quando Sacerdoti illud deferenti fidêles obviam fiunt, ipſi etiam proſequantur: quique equo, aut curru vehuntur, deſcendant etiam, & comitentur item, niſi neceſſariâ, vel urgenti de cauſâ vehementer impediantur.

Quò

Quò autem ardentiùs ad id religiosè agendum fidêles excitentur, crebrò etiam, prout occasio tulerit, indulgentiam eo nomine concessam evulgabit.

Sacerdotes, & Clerici Ecclesiæ Parochialis, nisi necessariâ occupatione distinentur, etiam comitâri studêbunt.

Familia ægrotantis obviam procêdet cereis accensis, omni pietatis cultu, ac depositis armis.

Parochus ad infirmum sacram Eucharistiam ipse feret, nisi morbo, invaletudineve, aut necessariâ causâ impeditus sit. Cum verò alio Sacerdote utitur, is sit, qui ex Concilio Provinciali Quarto requiritur.

Noctu non afferet, nisi periculo mortis instante.

Particulas autem duas feret, nisi cùm aliquando ob mortem instantem, vel noctu defert, vel certus est Parochus necesse esse, ut statim post Communionem, extrêmam etiam unctionem ministret.

Allatûrus accuratè hoc præmonêbit: primùm ut ægrotantis, ad quem defertur, cubiculum ab omni sorde, & inquinamento purgêtur, amotâque omni re profanâ, exornêtur, ubi potest, pio apparâtu, & sacris imaginibus: tum præterea mensa consternatur mappâ nitidâ, appareturque cruce, aliâve effigie sacrâ, candelâbris, & candelis saltem binis; in qua mensa super corporali pyxis cum Sanctissimo ipso Sacramento collocabitur; sit præterea vas vitreum ad ablutionis usum.

Qui ob egestatem id minùs præstare possint, eos curet Parochus juvari à Confratribus Sanctissimi Sacramenti.

Certis campanæ percussionibus, Parochiæ suæ Clericos, & Parochiales, præsertim Confrâtres Sanctissimi Sacramenti convocabit.

In deferendo utêtur pluviali, ubi per loci, temporisque conditionem fieri poterit; aliàs verò superpelliceo, & stolâ.

Curabit etiam Clericos habêre, non solùm qui res sacras afferant in ministratione adhibendas, sed qui comitentur, & unà cum eo preces recitent.

li superpelliceo indûti sint; & si Capitulum Canonicorum adsit, etiam aliis indumentis, quibus utuntur in Choro.

Sanctissimum Sacramentum deferet vasculo decòro ad præscriptam formam: quod vasculum vel tenui linteo, vel velo ab humeris demisso decenter contegêtur. Si verò ob necessitatem noctu, & locis asperis, montuosisque, viâ præcipiti, aut lubricâ deferet, sacrum illud vasculum in sacculum decentem, qui à collo pendeat, ita inclûdet, ut, si fortasse ipse labâtur, Sacramentum in terra decidere nullo modo possit. Umbellam præterea, ubi potest, adhibêbit majôris, vel minôris formę pro locorum conditione ad præscriptum.

Cum Parochus accessit ad ægrôtum, diligenter videat, siquidem graviter labôrat, an integro sensu sit, an item periculum tussis, anque item vomitus. Si tunc non potest sumere necessitate, vique repentînâ morbi impeditus, aliquantulùm morabitur Parochus, dumque in mora est, ipse, & reliqui fidêles, genibus flexis, coram Sanctissimo Sacramento orabunt. At verò si persevêret impedimentum, illud propônet ei adorandum, si modò ægrôtus ita desideret; & impertitâ ei figurâ crucis benedictione cum ipso Sacramento, discêdet. Eodem modo oret, propônat, & benedicat, si cum venerit, ab initio viderit fieri non posse, ut ægrôtus sumat: sed ne deferat tamen unquam ad eum, quem sumere non posse ante noverit.

Sin autem sumere potest, Parochus illum suaviter alloquêtur, & quæret, an aliquid reliquum sit, quod confitêri velit, tuncque libenter eum audiet, & absolvet: interrogabitque item, an Sanctissimum Corpus Domini sumere velit; & si pro viatico dandum sit, id quoque exprimet: ad quod piè, devotèq; sumendum paucis verbis inflammabit.

Si quando sinè sacra Hostia redîbit, Parochus antequam domo ægrôti, purgatâ priùs statim pyxide, abscêdat, lumina extingui jubêbit: superpelliceum, stolam, tintinnabulum, umbellam

bellam non adhibêbit: pyxidem palam non deferet.

Prælato alicujus Ecclesiæ, qui in lecto ægrôtans frequentissimè sacræ Eucharistiæ pabulo salutariter se reficiet, eam, & cum primò in ægrotatione, & cum pro viatico sumet, Sacerdos, qui post illum in ipsa Ecclesia primariam dignitatem, locumve obtinet, deferet, ac ministrabit, universo Clero ejusdem Ecclesiæ prosequente, & Societate etiam Sanctissimi Corporis Domini. Si verò sæpiùs sacram Communionem sumet, alius inferior Sacerdos, vel Parochus ministrabit, Societate tantummodò Corporis Domini comitante.

Aliis Sacerdotibus eodem modo deferêtur, ejusdem ordinis saltem Sacerdotibus, aliisque Clericis comitantibus.

Ægrôtus si per valetudinem potest, è lecto surget, decorèque vestitus; & si est Sacerdos superpelliceo, stolâque indûtus, genibus flexis erit, dum sumet.

Monita, si morbus gravior fuerit.

SI morbus gravior, & cum periculo fuerit, Parochus ægrôto suadêbit, ut dum integrâ mente est, rem omnem suam rectè constituat, & testamentum faciat.

In testamenti factione significabit, quanti intersit religiosos homines doctrinâ, & pietatis usu præstantes adesse, de quorum consilio ad remedium animæ suæ in ultima voluntate pro facultatibus aliqua pia opera statuat.

Pia legata, quæ fecerit, præstari quamprimùm, aut etiam ipso vivente, monêbit; cum hoc ei plurimùm suffragari possit ad animæ salûtem.

Hæc in primis monêbit, quæ, quamquam semper præstanda sint, tali tamen tempore in primis: ut, si quid aliêni habet, si per facultates potest, quamprimùm restituat, aut saltem id præstari in testamento caveat.

Ut, si de alicujus fama detraxit, curet ei aliquâ ratione satisfacere.

Ut, si quos inimicos habet, illis omnino ignoscat, omnemque simultatem, & inimicitias depônat. Ut

Ut si quem offenderit, læseritve, ut potest, satisfaciat.
Si ab aliquo læsus, aut fortè vulneratus sit, ei ex animo, & toto corde ignoscat, offensionemque remittat.

Perquîret item, an sacro chrismate confirmatus sit; quòd si illum adhuc non esse viderit, etiam jacentem, si adest Episcopus, confirmari; sin minùs adest, id, cum per valetudinem poterit, ut quamprimùm præstet, accuratè monêbit.

Monêbit etiam, ut, morbo magis etiam ingravescente, sanctissimum viaticum, & Extremæ Unctionis Sacramentum in tempore petat; ut dum sensibus integris, & mente viget, piè, religiosèque Sacramenta accipiat.

Aget cum eo, ut, si Dei gratiâ, munereque àb eo morbo convalescet, vitam omnino emendet, aut sanctiorem vivendi disciplinam suscipiat.

Demonstrâbit satanam nihil non agere, ut impediat salutaria ejus remedia: ideôque in id studêre, ut infirmo in animum sæpenumerò indûcat, nihil periculi ex morbo, quo labôrat, imminêre: medicos autem verborum blanditiis spem longioris vitæ sæpe pollicêri, in idipsumque familiares etiam, & cognatos incumbere.

Periculum igitur morbi ei ita celâri ne sinat, ut eum mors opprimere possit inopinantem, & imparatum. Atque opportûnè indûcet illum, & suaviter, ut velit suum sibi periculum patefieri.

Animadvertet autem ægrôtos tribus potissimùm solêre valdè molestis cogitationibus affici, anxièque perturbari, quarum primam affert mortis metus, alteram conscientia peccatorum, tertia oritur ex contemplatione divinæ justitiæ: quamobrem in promptu habêbit argumenta ad persuadendum apposita, pro conditione ægrotantis, quem lenibus, suavibusque verbis alloquêtur.

Ostendet mortem christianis hominibus non modò extimescendam non esse, sed etiam amandam, & expetendam, quæ nisi intercêdat, fieri non potest, ut à peccati servitûte,

&

& hujus vitæ calamitatibus, atque incommodis omnino liberati æternam felicitatem per Jesu Christi meritum consequamur. Atque in hoc suadendi genere rationes, & locos sibi sumere poterit ex libro S. Cypriani, qui est de mortalitate.

Quem metum depellere studêbit non solùm multis aliis rationibus, sed etiam & sacrarum litterarum auctoritatibus, & exemplis Sanctorum, & sacris precibus, & orationibus.

Si ob affectum, quo erga res terrênas irretitus tenêtur, aut ob alias causas mortem exhorrescit, hunc affectum expellere conabitur rationibus ab eârum vanitate, vitiôque deductis.

Ad sedandam perturbationem, quæ oritur ex conscientia peccatorum, hortabitur, ut frequenti Confessionis, & Sacræ Communionis usu sese religiosè corroboret, credatque omnino Sacramentis peccata infinitâ Dei benignitate delêri.

Ad justitiæ verò divinæ contemplationem ægrôtum valdè se abjicientem eriget commemoratione infinitæ bonitatis divinæ, quæ nunquam patitur fidêles esse destitûtos, qui velint, quandiu in hujus vitæ cursu versantur, pœnitentiâ exactæ vitæ peccata diluere.

Si impatientem ægrôtum viderit, ei propônet Passionem Christi Domini, tormenta Sanctorum Martyrum, exempla aliorum Sanctorum, Job, Tobîæ, Joseph, & aliorum. Merita præterea ostendet patientiæ, quæ multa sunt, & maxima. Causas item ostendet afflictionum, quas Deus pater amantissimus, & medicus sapientissimus, tamquam medicamenta fidelibus adhibet.

Orationibus etiam brevibus utêtur, quas unà cum ægrôto pronuntiâbit, ad illius impatientiam sedandam, depellendamve.

Cohortabitur præterea, & consolabitur eum, prout affectum

fectum esse viderit, agetque pluribus, aut paucis, pro prudentia, charitateque sua. In eôque denique diligens erit, ut omnem ex infirmi animo mœstitiam abiiciat, paratusque sit depositum suum, quandocunque illud repetere Deus voluerit, libentissimè reddere.

Si in urbe, aliôve loco æger est, ubi Archiepiscopus morêtur, eum indûcat ad benedictionem Archiepiscopalem, unà cum indulgentia, cujus facultatem Apostolicam habet, piè petendam. Ipsum etiam Archiepiscopum ipse poterit quandôque de illius morbo, ægritudineve certiorem facere, qui eundem sponte visitabit, & consolabitur, aut alium mittet.

Ingravescente morbo, Parochus infirmum crebriùs inviset, & juvare ad salûtem conabitur quàm diligentissimè.

Si mortis tempus instare viderit, aget ut mox infra, commendationisque animæ officium præstabit, quemadmodum suo loco infra item præscriptum est. Monêbit etiam, instante periculo, se confestim vocari, ut in tempore præsto sit morienti.



PRE-

PRECES
DICENDÆ IN VISITATIONE
INFIRMORUM.



Ngressus cubiculum infirmi salutabit iis verbis.

℣. **Pax huic domui.**

℟. **Et omnibus habitantibus in ea.**

Deinde orabit super infirmum, ut infra.

Et si opportûnum judicaverit, poterit etiam priùs infirmum alloqui, & consolari, & ad preces majôri pietate, & fructu audiendas præparare.

Curabit verò etiam Clericum saltem adhibêre, qui psalmum una cum ipso dicat, & respondeat cum opus est.

Psalmus 6.

Domine, ne in ira tua arguas me: neque in furôre tuo corripias me.

Miserêre mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam turbata sunt ossa mea: & anima mea turbata est valdè, & tu, Domine, usquequò?

Convertere Domine, & eripe animam meam: salva me propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est præ ira oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Disce-

D iscedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudîvit Dominus vocem fletus mei.
E xaudîvit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscêpit.
C onfundantur, & conturbentur omnes inimîci mei: avertantur retrorsum, & confundantur valde velociter.
G loria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
S icut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Lectio Sancti Evangelii secundùm Marcum.
℟. Gloria tibi Domine.
Dum ita Sacerdos dicit, crucem sibi primùm, deinde infirmo facit in fronte, ore, & pectore, si mas est: si verò fœmina, non Sacerdos, sed sibi ipsa crucem facit. Idem in sequentibus Evangeliis servatur.
IN illo tempore. Recumbentibus undecim discipulis apparuit Dominus Jesus, & exprobravit incredulitatem illorum, & duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non credidêrunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocêbit: super ægros manus impônent, & benè habêbunt.
Pater noster. Secretò usque ad
℣. Et ne nos indûcas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Exaudiat te Dominus in die tribulationis.
℟. Protegat te nomen Dei Jacob.

℣. Mittat tibi auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tueatur te.
℣. Tribuat tibi secundùm cor tuum.
℟. Et omne consilium tuum confirmet.
℣. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.
℟. Nunc cognôvi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.
℣. Dominus custodiat te ab omni malo.
℟. Custodiat animam tuam Dominus.
℣. Benedicat te Dominus ex Sion.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem nostram.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Sancte Pater, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis infûsâ virtûtis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis corpora nostra, & mentes vegetentur; super hunc famulum tuum propitius intende, ut, omni necessitate corporeæ infirmitatis exclûsâ, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparêtur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde ita benedicet aspergendo aquâ benedictâ.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filii, ✠ & Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Obser-

Obſervet Parochus, ut genus in pronuntiando ſemper mutet, ſi fœmina fuerit, quod & in ſequentibus ſervabitur.

ALIÆ PRECES

Parochus ingreſſus cubiculum infirmi primùm dicet:

℣. **Pax huic domui.** ℟. **Et omnibus habitantibus in ea.**

Deinde dicit quæ ſequuntur, capite aperto, converſus ad aliquam piam imaginem.

Pſalmus 40.

BEatus qui intelligit ſuper egênum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſervet eum, & vivificet eum: & beatum faciat eum ſuper terram.

Et non tradat eum in manibus inimicorum ejus; Dominus adjuvet eum ſuper lectum dolôris ejus: univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine, miſerêre mei: ſana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimîci mei dixêrunt mala mihi: Quando moriêtur, & perîbit nomen ejus?

Et ſi ingrediebatur ut vidêret, vana loquebatur cor ejus: congregavit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foràs, & loquebatur in idipſum, adversùm me ſuſurrabant omnes inimîci mei: adversùm me cogitabant mala mihi.

Verbum inîquum ſtatuêrunt adversùm me: nunquid qui dormit non adjiciet, ut reſurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quem ſperavi, qui edêbat panes meos: adampliavit adverſùm me ſupplantationem.

Tu autem, Domine, miſerêre mei, & reſuſcita me: & retribuam illis.

In hoc cognôvi, quoniam voluiſti me: quoniam non gaudêbit inimîcus meus ſuper me.

Me autem propter innocentiam meam ſuſcepiſti: & confir-

confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
Benedictus Dominus Deus Israel: à sæculo, & in sæculum, fiat, fiat.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Surgens Dominus Jesus de synagôga introîvit in domum Simônis: Socrus autem Simônis tenebatur magnis febribus; & rogavêrunt illum pro ea. Et stans super illam imperavit febri, & dimîsit illam: et continuò surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes, qui habêbant infirmos variis languoribus, ducêbant illos ad eum. At ille singulis manus impônens, curabat eos.

Pater noster. Secretò usque ad
℣. Et ne nos indûcas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac famulum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuêre eum.
℣. Nihil proficiat inimîcus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimîci.
℣. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra.
℟. Et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
℣. Dominus opem ferat illi super lectum dolôris ejus.
℟. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.
℣. Domine exaudi orationem nostram.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.

 ℣. Domi-

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

RESpice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti: ut castigationibus emendata, continuò se sentiat tuâ medicînâ salvatam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde ita benedicet, aspergendo aquâ benedictâ.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, ✠ & Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

ALIÆ PRECES

Parochus ingressus cubiculum infirmi primùm dicet

℣. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde dicit quæ sequuntur capite aperto conversus ad aliquam piam imaginem.

Psalmus 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet Domino, susceptor meus es, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timêbis à timôre nocturno: & à jaculo volante per diem.

A negotio perambulante in tenebris: à ruîna, & dæmonio meridiano. Ca-

Cadent à latere tuo mille, & dena millia à dextris tuis: ad te autem non approximabunt.
Veruntamen oculis tuis confiderabis: & retributionem peccatorum vidêbis.
Quoniam tu es, Domine, fpes mea: altiffimum pofuifti refugium tuum.
Non accêdent ad te mala: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam Angelis fuis mandavit de te: ut cuftodiant te in omnibus viis tuis.
In manibus portabunt te: ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.
Super afpidem, & bafilifcum ambulabis: & conculcabis leônem, & dracônem.
Quoniam in me fperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognôvit nomen meum.
Invocabit me, & ego exaudiam eum: cum ipfo fum in tribulatione.
Eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum adimplêbo eum: & oftendam illi falutare meum.
Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.
℣. Dominus vobifcum. ℟. Et cum fpiritu tuo.
Lectio Sancti Evangelii fecundùm Joannem.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Erat dies feftus Judæorum, & afcendit Dominus Jefus Jerofolymam. Eft autem Jerofolymis Probatica pifcina, quæ cognominatur hebraicè Bethfaida, quinque porticus habens. In his jacêbat multitudo magna languentium, cæcórum, claudôrum, aridôrum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini fecundùm tempus defcendêbat in pifcinam, & movebatur aqua. Et qui prior defcendiffet in pifcinam poft motionem aquæ, fanus fiêbat à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo

ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset, quia jam multum tempus habêret, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscînam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabâtum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabâtum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicêbant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabâtum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabâtum tuum, & ambula. Interrogavêrunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabâtum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciêbat, quis esset. Jesus enim declinavit à turba constitûta in loco. Postea invênit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Pater noster. Secretò usque ad

℣. Et ne nos indûcas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Miserêre mei, Domine, quoniam infirmus sum.

℟. Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei genitrix intercêde pro nobis.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuêre eum.

℣. Nihil proficiat inimîcus in eo.

℟. Et

℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei.
℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimîci.
℣. Domine exaudi orationem nostram
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Virtûtum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languôrem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitius huic famulo tuo, ut, fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instauratâ sanitate, benedicat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Deinde ita benedicet aspergendo aquâ benedictâ.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filii, ✠ & Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.



ORDO MINISTRANDI
EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM INFIRMIS.


Arochus, convocatis Parochiæ ſuæ Clericis certis Campanæ percuſſionibus, & item Confratribus Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia Parochiali, paratis item cereis, & umbellâ, manus lavabit.

Poſtea ſuperpelliceo, ſtolâ, & pluviali rubris indutus ad Altare, genibus flexis, paululum tacitus orabit; mox aſcendit, genuflectit, aperit tabernaculum, iterum genuflectit, extrahit pyxidem ſuo velo tectam, ſuper corporali in Altari explicato collocat, rurſus genuflectit, & claudit tabernaculum.

Tectis ſerico velo rubro humeris, brachiiſque ſumit pyxidem, utrâque manu eodem velo coopertâ, ſiniſtrâ pedem tenens, dexterâ nodum ipſius pyxidis, & ſub umbellâ procêdit, quæ à dignioribus laicis deferêtur.

Clericus unus præîbit, qui aquæ benedictæ vaſculum cum aſpergillo deferet, & tintinnabulum item per certa intervalla pulſabit, cujus ſonitu populus ad religionis cultum Sanctiſſimo Sacramento tribuendum genibus flexis procidens excitêtur.

Alter item Clericus, ſi fieri poterit, adjungêtur, qui burſam rubram, corporali incluſo, concinnè feret ante pectus, & item librum hunc, de quo ipſe Parochus, quæ oporteat, recitabit.

Cerei duo laternis inclûſi à Confratribus Sanctiſſimi Sacramenti præferentur: quæ lumina ventorum vi, præfer-

præſertim per hiemem, extingui non poſſint.

Septem Pſalmos Pœnitentiales Parochus in via piè recitabit, quos, ſi longum eſt iter, repetet, præſertim Pſalmum Miſerêre: & alias etiam religioſas precationes, hymnos, & pſalmos accommodatos, quatenus ſpatium dabitur, idque cum Sacerdotibus, & Clericis, qui comitabuntur, alternâtim.

Reliqui fidêles bini proſequentur orantes ipſi quoque: primo loco Scholares Sanctiſſimi Sacramenti: deinde reliqui, viri ſcilicet, poſtrêmò fœminæ, hæ capite velâto, illi omnes capite aperto: omnes manu candelas accenſas tenentes, ut plures poſſunt, viri autem aliqui poterunt à lateribus etiam cum luminaribus comitari.

Cubiculum ægrotantis Parochus ingrediens dicit:

℣. Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Tum repônit Sanctiſſimum Sacramentum in menſa apparata, candelis accenſis, ſuppoſito pyxidi corporali explicato, & genuflexus illud adôrat. Poſtea ſurgens aſpergillum cum aqua benedicta accipit, ægrôtum aſpergit ad ſimilitudinem crucis, cubiculum, & reliquos, qui præſentes adſunt, dicens antiphonam.

Aſperges me hyſsôpo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Tum repetit antiphonam.

Aſperges me hyſsôpo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Mox dicere pergit preces ſequentes ita verſus ad ægrôtum, ut tamen etiam Sanctiſſimum Sacramentum reverenter aſpiciat.

℣. Salvum fac ſervum tuum.

 ℟. Deus

℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuêre eum.
℣. Nihil proficiat inimîcus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei.
℣. Eſto ei, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimîci, & perſequentis.
℣. Domine exaudi orationem noſtram.
℟. Et clamor noſter ad te perveniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DEus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmum famulum tuum oſtende virtûtem: ut ope miſericordiæ tuæ adjûtus Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.
℟. Amen.

Si ægrôtus extra lectum genibus flexis eſſe poterit, ut ſupra dictum eſt, ſcamnum panno mundo eccleſiaſtico ſtratum ante ſe habeat: aut ipſum pannum ſaltem à Clericis, Clericôve ſuſtentatum. Si verò in lecto eſſe neceſſe ſit, ut poteſt, elevatus, & amictus communicabit, panno itidem ante ſe extenſo.

Hic Clericus verſùs Sanctiſſimum Sacramentum, & Parochum genuflexus monet ægrôtum, & ceteros omnes ſignum crucis ſibi adhibêre, & ipſe ſignans ſe dicit:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

& manibus junctis, confeſſionem generalem dicit, ægrôto, ſi poteſt, cum eo ſaltem ſubmiſsâ voce pronuntiante, aut ſaltem attentè audiente, percutitque ter pectus ad ea verba, **mea culpa, &c.**

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Marîæ ſemper Virgi-

Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beato Ambrosio Confessori, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideò precor Beatam Marîam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatum Ambrosium Confessorem, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Quâ confessione pronuntiatâ, Parochus dicit: Deo gratias. Tum statim pergit dicere manibus junctis:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perdûcat te ad vitam æternam. ℟. Amen.

Post manu dexterâ crucis signum versûs ægrôtum adhibet, & dicit:

Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen.

Postea dicit sequentem orationem manibus extentis, & Clerico librum tenente.

Oratio.

Dominus noster Jesus Christus, qui dixit discipulis suis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solveritis super terram, erunt solûta & in cælo: de quorum numero, quamvis indignos nos esse voluit: ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis, quæ quovis modo, cogitatione, locutione, & operatione egisti: atque à peccatorum nexibus absolûtum perducere dignetur ad regna cælorum. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Ubi

Ubi Parochus hæc precatus erit, ad mensam se convertit, genuflectit, aperit pyxidem, iterum genuflectit, manu sinistrâ pyxidem prehendit, & alterius manus duobus digitis pollice, & indice Sacramentum accipit, paululumque de pyxide elevat, & conversus in medio mensæ versùs ægrôtum, ut is illud adôret; brevi, pro persônæ, & temporis ratione, excitat illìus fidem, & devotionem, & dicit: **Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.**

Tum Clericus genuflexus ut supra dicit:

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea: quod iterum, ac tertiò repetet per singulas vices pectus percutiens: quâ formulâ etiam utendum est, cum fœminæ communio ministratur, & ægrôtus una cum Clerico eam pronuntiabit, saltem submissâ voce.

Quibus verbis pronuntiatis, Parochus cautè, & diligenter præbet ei Sanctissimum Sacramentum, & signum Crucis super pyxidem ante faciem ægrôti faciens dicit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Ægrôtus respond. Amen. videat verò Parochus, ut antequam Sacramentum præbeat, satis spatii relinquat ad dicendum: **Amen.**

Si verò infirmo communionem pro viatico ministrat, dicat hoc modo:

Accipe frater, . si verò fœmina est, **soror, viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perdûcat in vitam æternam. Ægrôtus respondet. Amen.**

Postea Parochus, digitis pollice, & indice, quibus ministravit, super pyxide simul junctis, ad mensam revertitur, ubi depositâ pyxide super corporale, eâque contectâ, tum factâ genuflexione, statim digitos,

tos, quibus Sacramentum tetigit, vino, & aquâ abluit in vase non consecrato ad eum usum præcipuè parato, quod secum portandum curabit; tum purificatorio abstergit: Clericus autem præbet ægrôto ablutionem: quòd si ægrôtus sumere non potest, eam ad Ecclesiam deferet, & in sacrarium mittet.

Factâ purificatione, Parochus stans ut supra dicit manibus junctis:

℣. **Domine exaudi orationem nostram.**

℟. **Et clamor noster ad te perveniat.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo.**

Deinde, manibus extentis, orationem sequentem.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te humiliter deprecamur: ut accipienti fratri nostro, vel **forôri nostræ Sacrosanctam Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Filii tui Eucharistiam, & animæ, & corporis sit salus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum ℟. Amen**

℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo. K.k.k.**

℣. **Benedicat, & exaudiat nos Deus.** ℟. **Amen.**

℣. **Procedamus cum pace.** ℟. **In nomine Christi.**

℣. **Benedicamus Domino.** ℟. **Deo gratias.**

Hic infirmum Parochus aliquid admonêbit ex iis, quæ supra exposita sunt: hocque in primis, ut in tempore petat extrêmam unctionem: sique in eo statu est, ut non sit differenda, ipse Parochus nullam moram interpônet.

Vidêbit antequam inde discêdat, ut si aliquando Sacramentum palâto ægrôti adhæserit, tantum vini, aut aquæ det, ut illud glutiat; quod ubi factum viderit, ad mensam genuflectet, & pyxidem capiet, ut attulit, & versùs ægrôtum cum ea Crucis signum faciet.

Ita

Ita ad Ecclesiam rediens quo ordine venerat, dicit canticum sequens, & item alias religiosas preces ad hunc usum accommodatas (præcipuè cum longum est iter) cum Sacerdotibus, & Clericis alternàtim, ut supra.

BEnedicite omnia opera Domini Domino.
Benedicite cæli Domino.
Benedicite Angeli Domini Domino.
Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino.
Benedicite omnes virtûtes Domini Domino.
Benedicite Sol, & Luna Domino.
Benedicite Stellæ cæli Domino.
Benedicite omnis imber, & ros Domino.
Benedicite omnis spiritus Domino.
Benedicite ignis, & æstus Domino.
Benedicite noctes, & dies Domino.
Benedicite lumen, & tenebræ Domino.
Benedicite frigus, & æstus Domino.
Benedicite pruîna, & nives Domino.
Benedicite fulgura, & nubes Domino.
Benedicat terra Domino.
Benedicite montes, & colles Domino.
Benedicite omnia nascentia in terra Domino.
Benedicite maria, & flumina, & fontes Domino,
Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis Domino.
Benedicite volucres cæli Domino.
Benedicite bestiæ, & omnia jumenta Domino.
Benedicite filii hominum Domino.
Benedicat Israel Domino.
Benedicite Sacerdotes Domini Domino.
Benedicite servi Domini Domino.
Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino.
Benedicite Sancti, & humiles corde Domino.

Bene-

Benedicite Anania, Azaria, & Misael Domino.
Benedicamus Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum.
Hymnum dicamus, & superexaltêmus eum in sæcula.

Reversus verò collocat debitâ reverentiâ pyxidem cum Sacramento super altari, supposito corporali extento, genuflectit, postea stans manibus junctis dicit:

℣. **Panem de cælo præstitisti eis.**
℟. **Omne delectamentum in se habentem.**
℣. **Dominus vobiscum.** ℟. **Et cum spiritu tuo.**

Tum manibus extentis dicit orationem sequentem:

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus: ita nos Corporis, & Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. **Amen.**

Qua oratione peractâ, genuflectit, pyxidem utrâque manu tenens signum crucis cum ea versùs populum adhibet benedicens his verbis:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, ✠ & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. **Amen.** Deinde conversus ab alia parte ad altare repônit pyxidem in tabernaculo, genuflectit, postea claudit.

Tum indulgentiam publicè denuntiat iis concessam, qui Sacramentum eo modo comitantur, paucis verbis eos cohortans, ut in religioso eo institûto persevêrent, & ita fidêles in pace dimittet.

DE

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Rubricæ, seu instructiones.



Xtrêmo vitæ nostræ tempore præsidia divînæ gratiæ nos eò plura habêre convenit, quò & vehementiùs torquêmur metu mortis impendentis, & in periculo etiam majôri versamur. Sicut igitur clementissimus Redemptor noster divîna in aliis Sacramentis adjumenta fidelibus, dum in hoc sæculo vivunt, paravit, ita hoc extrêmæ unctionis Sacramento finem vitæ hujus, tamquam firmissimo quodam, cælestîque præsidio communîvit.

Hoc Sacramentum à Christo Domino, ut cetera Sacramenta, est institûtum; apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendâtum, ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis? indûcat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.

Administrantur in Ecclesia fidelibus plures sacræ unctiones, veluti Baptismi, Confirmationis, Ordinis: & quoniam hæc extrêma est, quæ fidêli graviter, periculosèque ægrôtanti ministratur, ideo Sacramentum extrêmæ unctionis appellatum est, & Sacramentum etiam unctionis infirmorum, & præterea Sacramentum exeuntium.

Hoc Sacramentum, ut alia Sacramenta, constat ex materia, & forma. Itaque ejus materia est oleum ab Episcopo consecratum, liquor scilicet, non ex quavis pingui, crassâque natûrâ,

turâ, sed ex olearum baccis tantummodó expressus. Atque hæc quidem materia aptissimè illud significat, quod Sacramenti vi intus in anima efficitur; mitigatur enim animæ dolor, & tristitia unctione quadam invisibili, ejusque vires recreantur, ut infra dicetur latiùs.

Forma verò Sacramenti est verbum, & solemnis illa precatio, quâ Sacerdos ad singulas unctiones utitur, cum inquit: Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti; & sic de reliquis. Quo fit, ut cum aliorum Sacramentorum forma vel absolûtè significet, quod efficit, ut illa, EGO TE BAPTIZO, vel tamquam ab imperantibus pronuntietur, ut in Sacramento Ordinis, ACCIPITE POTESTATEM, hæc una extrêmæ unctionis forma precatione quadam absolvatur.

Atqui Sacramenti hujus minister Sacerdos est ritè Sacerdotio initiatus: nec verò tamen cuivis id, ex sacris decretis, administrare licet, sed proprio Parocho, qui jurisdictionem habeat, aut alteri, cui ille, Superiorve ministrandi Sacramenti facultatem ex causa dederit.

Fructus, atque utilitates, quæ ex hoc Sacramento capiuntur, Parochus accuratè, studiosèque explicabit, cum in visitatione infirmi opportûnum viderit, tum maximè in cohortatione ad illud spontè petendum, & in primis in ministratione, quantùm per temporis angustiam, & morbi vexationem potest.

Prima igitur utilitas, & effectus hujus Sacramenti est, quòd peccati reliquias tollit tamquam complementum Sacramenti pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur sive mortalia, sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent; potest enim fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confitêri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui aliòquin fuisset damnandus.

Hæ

Hæ reliquiæ etiam ſunt, torpor, mœror, & anxietas quædam, quæ ex peccato relinquitur, & hominem morti proximum afflîgit.

Sunt porrò multa, quæ ægrotantem variè afflîgunt, & mortis naturalis metus, & divîni judicii horror, quo maximè terrêtur, & morbi vis, quæ illum ita deprimit, ut de Deo, diviniſque, & cæleſtibus rebus, ac de animæ ſuæ falûte cogitationes aliquando ſuſcipere non poſſit. Fitque ſæpè interdum, ut morbo vexatus paulo momento huc, atque illuc impellatur, modò ad querêlas, modò ad ſuſpiciones, modò ad impatientiam, aliaſque hujus generis pravas affectiones, quæ illîus animam lædunt. Adversùs hæc porrò omnia incommoda Sacramentum hoc, tamquam ſaluberrima medicîna valet, eamque vim divinitùs habet, ut leviús ea ferat.

Alia eſt utilitas; Cum enim Diabolus, qui diuturno uſu conditionem, ingenium, moreſque ægrotantis didicit, extrêmo eo tempore omne certâmen variè aggrediatur, ut eum diſtrahat, deſperatione, & animi abjectione perturbet, aut nimiâ arrogantiâ, atque elatione quadam attollat; hoc Sacramento vires infirmo divînæ ſubminiſtrantur, quibus adverſario fortiter reſiſtat.

Cum igitur adversùs hoſtem animam corroborat; tum etiam corpus, ubi animæ ſalûti expedierit, aliquando ſanat.

Hoc etiam Sacramento fidêlis, qui illud piè ſumit, palàm, publicèque quodammodo profitêtur in obitu fidem catholicam. Apertè enim declarat ſe, ſicut ad id tempus in Eccleſia militante cum fidelibus communionem habuit; ita in fine ſeſe habêre; ſperareque in Eccleſia triumphante conſortîum habitûrum cum Sanctis, qui æternâ cum Chriſto gloriâ perfruuntur.

Cæremoniæ, & ritus miniſtrandæ extrêmæ unctionis.

PRimò multæ ad Deum preces pro eo piè adhibentur, quibus divînum ejus auxilium imploratur, leguntur Litanîæ, Sancti-

Sanctique Dei invocantur: & nullum omnino est Sacramentum, quod pluribus precibus administrêtur; egent enim fidêles eo potissimùm tempore magno auxilio: & ideò Parochus, aliîque omnes præsentes toto corde precantes tunc enìti debent, ut laboranti subveniant.

P ræterea corporis partes unguntur, quæ veluti sensuum instrumenta homini data sunt: oculi propter visum, aures propter audìtum, nares propter odoratum, os propter gustum, & sermônem, manus propter tactum; sicut enim in morbo corporis ea pars curatur tantùm, à qua morbus manat, non autem totum corpus; ita hìc ea tantùm membra unguntur, in quibus potissimùm sentiendi vis eminet, unde peccatum, quasi per ostia intrare solet: renes quoque veluti voluptatis, & libidinis sedes: tum pedes, qui sunt nobis ingressus, & ad locum movendi principium.

Quæ duæ partes postrêmæ non tamen ita sunt necessariæ, ut aliæ, quæ sunt quinque sensuum, ideò in fœminis renum unctionem omittet.

S i quis membro aliquo careat, quod inungi præscriptum est, ungat partem ei propiôrem.

R eliquis infirmis manus ab interiori parte inunget, Sacerdotibus verò ab exteriori parte, cum priùs in sacra ordinatione unctæ fuerint.

U ngendis autem oculis, aliisque membris, quæ in homine paria sunt, hoc valde cavêbit, ut cum utrumque membrum unìus tantùm sensus sit, utriusque itidem unctionem absolvat unicâ solùm verborum formâ, licèt duas cruces faciat. Unget autem primò dexterum, deinde sinistrum, cruce unicuìque impressâ oleo sacro.

U nguntur oleo, quia gratiâ Spiritus Sancti, quæ oleo significari solet, anima perfunditur, ad peccata, peccatorumque reliquias abstergendas, animam alleviandam, & confirmandam.

F orma adhibêtur, quæ precationem habet, cum S. Jacôbus dixerit, orent super eum &c. Atque cum hoc Sacramen-

M tum

tum sit quoddam pœnitentiæ complementum; infirmique eo maximè tempore non possint opera pœnitentiæ facere, ex sola misericordia remissionem expectant, quæ precatione imploratur.

Crux item, dum unctio sacro oleo adhibêtur, imprimitur; ut sciamus hæc dona nobis concêdi meritis crucis, & passionis Domini, utque eo signo in pùgna, quæ cum adversario sustinenda est, utamur, sensusque nostros muniamus; itemque ut ad Christi judicis tribûnal signum crucis deferamus, quo ostendamus nos sub crucis vexillo constanter usque ad obitum pugnasse.

De diligentia in ministrando.

OMnem diligentiam Parochus in eo adhibêbit, ut cum periculum mortis ægrôto impendet, supremusque vitæ dies instare vidêtur, illud in tempore ministret, proposito sibi exemplo Sanctissimi Episcopi Malachìæ, qui, cum culpæ suæ, licèt immeritò, adscriberet, quòd mulier quædam sinè hoc Sacramento decessisset, totam noctem lacrymans sese afflixit, ita ut Dei misericordià manè illa quasi è somno excitata è lecto se erigens hoc Sacramentum acceperit, & etiam à morbo convaluerit. Quare cum quis ejus curæ commissus periculósè ægrôtat, cum ab Ecclesia Parochus abesse non debet, tum illum, ut de visitatione dictum est, frequenter visitabit: paratusque erit die, noctûque, nullâ interpositâ morâ, in tempore ministrare.

Ut autem in tempore ministret, cum sæpe aliàs, utpote cum ægrotantem primò visitat, tum quo etiam tempore Sacram Eucharistiam pro viatico ei ministrat, hoc illum monêbit, ut, dum sanâ mente est, sibi ministrari petat: simulque item demonstrabit, quàm salutariter expediat ultrò, sponteque piè Sacramentum hoc deposci.

Ad quod etiam Sacramentum percipiendum quò magis fidêles accendat, ejus fructus, atque utilitates aliquando, prout opportûnum esse viderit, accurâtè explicabit: idemque unicui-

unicuique infirmo cum miniſtrat, præſtare non omittet, quantùm ſanè tunc per temporis anguſtiam, morbique vexationem poteſt.

Atque cum ad ægrum valdè periculòsè ægrotantem Sacram Euchariſtiam pro viatico fert, vaſculum etiam ſacræ unctionis afferet, præſertim ſi infirmi domicilium ab Eccleſia longè abeſt, ut, ſi morbi vis magis ingraveſcet, in tempore miniſtret.

Miniſtrabit autem, dum æger integris ſenſibus eſt. Quòd ſi aliquâ morbi vi infirmus oppreſſus, dubitatur, vivus ne ſit, an mortuus, tunc diligenter de hoc Sacerdos vidêbit, conſulto etiam medico, ſi in tanta temporis brevitate poteſt: ſi non poteſt, & in dubio eſt, eâ conditione utêtur: SI ES VIVUS, per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid &c.

Si æger autem in eo ſtatu eſt, ut ſpiritum ante exhalatûrus videatur, quàm Sacramenti hujus miniſtrationem ipſe Parochus abſolvere poſſit, tunc pſalmis, & litaniis prætermiſſis, ſtatâ formulâ verborum ſingulas corporis partes, quas ungi ritus poſtulat, inunget. Sique ſuperſtes erit, tunc ſtatas reliquas preces, litaniaſque adhibêbit. Si verò dum ungitur, ſpiritum emiſerit, ungere Parochus deſiſtet.

Rurſus, ſi aliquando acciderit ipſum Parochum, dum ungit, præ virium imbecillitate, aliòve caſu deficere, alius Sacerdos ſi præſens aderit, aut aliunde ſtatim evocatus reliquas partes, quas ille non unxerit, ungere ritè perget: unctas autem denuò non unget.

Si per errôrem Sacerdos aliud oleum, quàm quod infirmorum eſt, ad ægrôtum ungendum unquam adhibuerit, etiamſi chriſmatis, aut catechumenorum ſit, ut erratum emendet, olei ſacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam iteret, & quidem abſolûtè, ſi oleum per errôrem adhibitum non fuerit ab Epiſcopo benedictum; ſi verò fuerit ab Epiſcopo benedictum, iteret ſub conditione.

Ministratûrus, quot commodè potest habêre, Presbyteros, & Clericos adhibêre studeat superpelliceo indûtos, qui ipsum & ministrantem, & precantem pietatis, orationisque studio in eo ministerio adjuvent.

Quòd si plures habêre non potest, unum saltem omnîno adhibeat Clericum sibi ministrantem.

Accêdat illud ministratûrus stolà violaceâ, & superpelliceo indûtus.

Vas sacri olei ne sinu, brachiôve comprehensum, sed sacculo serico violacei colôris aptè inclûsum cordulâ sericâ à collo pendens reverenter ferat.

Mensam prope ægrotantis lectum parvulam, ubi commodè fieri potest, parari, mappâque candidâ sterni curet, super qua vas sit cum bombacio ad abstergendas unctiones, micaque panis ad abstersionem digitorum. Sit ibîdem vas alterum aquæ ad manus lavandas, & candela ceræ item parva. Qua in mensa vas sacri olei à parte lecto viciniôri ponatur; à laico autem homine ne manu teneatur.

Curet, ut toto eo tempore domestici simul omnes, qui adsunt, pro eo Deum piè precentur.

Hoc etiam Parochus domesticos, qui ægrôti curam habent, moneat, ut ne post extrêmæ unctionis Sacramentum, quod ei ipse ministravit, corporis curam deserant.

Quibus ministratur Sacramentum extrêmæ unctionis.

Ministratur hoc Sacramentum adultis periculôsè ægrotantibus, propeque moribundis, & senio etiam confectis in diem moritûris, etiamsi ægrôti non sint; peste item laborantibus, tametsi mortis periculum imminêre tunc non videatur, cum de repente mors necopinantes eos occupet; periculôsè etiam vulneratis ad mortem.

At non infantibus, puerisve, qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittunt, nec furiôsis, amentibusque toto vitæ tempore insaniâ vexatis, nec excommunicatis, interdictis, impœnitentibusve.

Neque

Neque mulieribus in partu laborantibus; neque ad bellum proficiscentibus; neque navigationem, aut peregrinationem suscipientibus; neque iis, qui mox ultimo supplicio afficiendi sunt; neque etiam perpetuo carcere mulctatis ministratur; nisi cum hi ex morbo in periculo mortis versantur.

Infirmis autem, qui sanâ mente dum erant, illud petiêrunt, aut verisimile est, quòd petiissent, etiamsi postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve uti desierint, ministrabitur item.

Si verò, dum infirmus amentiâ, phrenesive labôrat, verisimile sit, ut indecôrè, aut spurcè, impurève aliquid agat, quo irreverentia Sacramento huic fiat, non ungêtur, nisi alicujus complexu ita teneatur, ut firmus, stabilisque hæreat.

Cæcis, surdis, mutis, paralyticis, quamvis eo sensu vel videndi, vel loquendi, vel ambulandi semper caruerint, præbebitur; peccare enim potuêrunt per internas potentias, quibus ea membra respondent.

Item ei ministrari debet, qui fortè dum est in articulo mortis sit baptizatus.

Quæ præparatio ad extrêmæ unctionis Sacramentum adhibenda.

QUoniam nihil Sacramenti gratiam magis impedit, quàm mortiferi alicujus peccati conscientia, idcirco in eo ministrando usum, consuetudinemque hanc tenêbit, ut, si fieri potest, infirmum non ante ungat, quàm peccata confessus sit, ac præterea Sacram Eucharistiam sumpserit aut saltem sit confessus, si fortè non potuerit infirmus ob stomachi, gutturisve impedimentum Sanctissimam Communionem sumere.

Si quem verò de repentè morbi vis occupârit, ut neque confitêri, neque communicare potuerit; ex aliqua tamen contritionis, aut pietatis significatione conjicitur eum

velle sibi hoc Sacramentum extrêmæ unctionis ministrari, tunc Parochus ministrabit.

Quò diligentiùs item infirmum præparet, præter alia, quæ ei de vi, salutaribusque fructibus hujus Sacramenti, ut supra dictum est, diligenter expônet, hoc etiam persuadêbit, ut, eâ fide se ungendum præbeat, quâ olim, qui ab Sanctis Apostolis sanandi erant, se ipsos offerre consuevêrunt; in primis autem animæ salus, deinde etiam corporis valetûdo, cum conditione, si ad æternam gloriam profutûra sit, expetenda est.

Tum verò demonstrabit illum dubitare non debêre, quin sanctæ illæ preces à Deo exaudiantur, quibus ipse Parochus, Sacerdosve Ecclesiæ, & Domini persônam gerens utitur ad hujus Sacramenti ministrationem.

Decêbit etiam maximè eam corporis præparationem adhibêre, ut partes ungendæ priùs abluantur, quantùm commodè fieri possit, ad sacri olei reverentiam, præsertim quæ sordes solent magìs contrahere.

Quoties hoc Sacramento utendum est.

INtelliget Parochus, infirmum, quandiu in eâdem ægrotatione, & in eôdem mortis periculo versatur, semel tantùm esse extrêmâ unctione liniendum. Quòd si, unctione susceptâ, convaluerit, quoties postea in vitæ discrimen inciderit, toties hoc Sacramentum ei adhibebitur. Item in morbis quibusdam diuturnis, puta in hydropisi, si ob mortem impendentem quis unctus fuerit, & evaserit, deinde ex eôdem morbo in alium similem casum, & periculum mortis rursus inciderit, rursus etiam ungi debêbit.



ORDO

ORDO MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.


Arochus vocatus ad miniſtrandum Sacramentum extrêmæ unctionis, omnibus iis, quæ mox ſupra præſcripta ſunt, rectè animadverſis, & præparatis; ut parochiæ ſuæ fidêles excitet ad orandum pro infirmo, & convocet ſuæ parochiæ Sacerdotes alios, Clericoſve, quorum miniſterio, ut ſupra dictum eſt, in adminiſtratione utatur; campanæ ſignum ſtatim dandum curabit, quod à ſigno communionis diſtinguatur.

Mox verò indûtus ſuperpelliceo, & ſtolâ violaceâ accipit vas olei ſacri.

Clericus indûtus ſuperpelliceo vas feret aquæ benedictæ, cum aſperſorio, & librum hunc ſacramentalem.

Curabit etiam Crucifixi parvam imaginem afferri, ſi fortè ea ægrôto deſit, item cereum laternâ inclûſum: idque per Clericum, ſi adſit.

Tintinnabulum verò non adhibebitur.

Dum in via eſt, & ad ægrôtum accêdit pſalmum dîcet. **Miſerêre mei Deus ſecundùm magnam &c.** Et alias pias preces.

Cubiculum autem, ubi ægrôtus jacet, ingrediens dicit.

℣. **Pax huic domui.** ℟. **Et omnibus habitantibus in ea.**

Tunc vas olei ſacri repônit in menſa præparata, ubi candela accenſa ſit, deinde dicit:

℣. **Dominus vobiſcum.** ℟. **Et cum ſpiritu tuo.**

Oratio.

DEus, qui benedixisti vestigia Apostolorum tuorum Petri, & Pauli, atque Andreæ, dignare benedicere domum istam, atque ingressum istum. Expelle hinc, Domine, omnes insidias diaboli; & reple eam omni gaudio, lætitiâ, sanitate, & pace, & fac eam abundare omnibus bonis: ut de tua largitate semper abundet, & angelus tuus bonus semper eam in pace custodiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Propitius sit nobis omnipotens, & misericors Deus, qui fecit cælum, & terram, & benedicat nos. ℟. Amen.

Hic aquâ benedictâ Parochus ægrôtum ad Crucis similitudinem aspergit, & astantes, & cubiculum item dicens:

℣. **Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super domum istam, & super omnes habitantes in ea.** ℟. **Amen.**

Aspersione peractâ, & Crucifixi etiam imagine ante oculos ægrôti collocatâ, Parochus ab illo quærit, an aliquid habeat, recorderturve, quod confitêri velit: sique nihil quidquam habet, Clericus versùs sacram imaginem, & Parochum genuflexus monet ægrôtum, & ceteros omnes signum Crucis sibi adhibêre, & ipse signans se dicit:

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Et manibus junctis confessionem generalem dicit, ægrôto, si potest, cùm eo saltem submissâ vôce pronuntiante, aut saltem attentè audiente, percutitque ter pectus ad ea verba, **mea culpa &c.**

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaêli Archangelo, Beato Joanni Bapti-

Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, Beato Ambrosio Confessori, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa; ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Beatum Ambrosium Confessorem, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

Deinde Parochus manibus junctis dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

℟. Amen.

Deinde signum crucis dextrâ formans versùs ægrotum dicit:

Indulgentiam, absolutionem, ✠ & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen.

Postea omnes, qui adsunt, & præsertim familiam præsentem genibus flexis orare jubet: tum is genibus etiam flexis dicit una cum aliis Presbyteris, vel Clericis, si plures intersunt, si minùs cum uno, Psalmos Pœnitentiales, & Litanias ut mox infra, si tempus datur: aliòquin, si non datur, ut supra, dum ab aliis Psalmi, & Litaniæ dicuntur, ipse statâ formulâ inferiùs descriptâ unget.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Antiphona. Infirmus sum.

Psalmus 6.

Domine, ne in ira tua arguas me: neque in furôre tuo corripias me. Mise-

Miserêre mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quoniam turbata sunt ossa mea: & anima mea turbata est valdè, & tu, Domine, usquequò?

Convertere, Domine, & eripe animam meam: salvam me propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est præ ira oculus meus: inveteravi inter omnes inimîcos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudîvit Dominus vocem fletus mei.

Exaudîvit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscêpit.

Confundantur, & conturbentur omnes inimîci mei: avertantur retrorsum, & confundantur valdè velociter.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio &c.

Antiph. Infirmus sum sana me, Domine Deus meus.

Antiph. Sperantes in Domino.

Psalmus 31.

BEati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in ore ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteravêrunt ossa mea: dum clamarem totâ die.

Quoniam die, ac nocte: gravata est super me manus tua.

Conversus sum in ærumna: dum configitur mihi spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

Dixi, eloquar adversùm me injustitiam meam Domino:

no: & tu remiſiſti impietatem cordis mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: in tempore opportûno.

Veruntamen in diluvio aquarum multarum: ad illum non approximabunt.

Tu es mihi refugium à tribulatione: quæ circumdedit me.

Exultatio mea libera me: à circumdantibus me.

Intellectum dabo tibi, & inſtruam te in via hac, quâ gradiêris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolîte fieri ſicut equus, & mulus: in quibus non eſt intellectus.

In fræno, & camo maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatorum: ſperantes autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate juſti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio &c.

Antiph. Sperantes in Domino miſericordia circumdabit.

Antiph. Intende in adjutorium.

Pſalmus 37.

Domine, ne in ira tua arguas me: neque in furôre tuo corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Nec eſt ſanitas in carne mea à vultu iræ tuæ: & non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſuperpoſuêrunt caput meum: & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Computruêrunt, & putruêrunt livôres mei: à facie inſipientiæ meæ.

Miſeriis afflictus ſum: & curvatus ſum uſque in finem valde.

Totâ

Totâ die contristatus ingrediêbar, quoniam anima mea complêta est illusionibus: & non est sanitas in carne mea.
Incurvatus sum, & humiliatus sum nimis: rugiêbam à gemitu cordis mei.
Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus non est absconditus à te.
Cor meum conturbatum est in me, & derelîquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum non est mecum.
Amîci mei, & proximi mei adversùm me appropiavêrunt, & stetêrunt: & proximi mei à longè stetêrunt.
Et vim faciêbant, qui quærêbant animam meam, & qui inquirêbant mala mihi locûti sunt vanitates: & dolos totâ die meditabantur.
Ego autem velut surdus non audiêbam: & sicut mutus, qui non aperit os suum.
Factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo increpationes.
Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine Deus meus.
Quoniam dixi; Ne aliquando insultent in me inimîci mei: & dum commoverentur pedes mei, super me magna locûti sunt.
Quoniam ego ad flagella paratus sum: & dolor meus ante me est semper.
Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.
Inimîci autem mei vivunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui me odêrunt inîquè.
Qui retribuunt mala pro bonis, detrahêbant mihi: quia subsequêbar justitiam.
Ne derelinquas me, Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Inten-

Intende in adjutorium meum: Domine, Deus salûtis meæ.
Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.
Antiph. Intende in adjutorium meum, Domine, Deus salûtis meæ.
Antiph. Peccavi, Domine.

Psalmus 50.

Miserêre mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam.
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.
Et multùm lava me ab injustitia mea: & à delicto meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego agnósco: & delictum meum contra me est semper.
Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: ut justificêris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in delictis peperit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
Asperges me hyssôpo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.
Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me, Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.
Ne projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.
Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.
Docêbo iníquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera

L ibera me de sanguinibus, Deus, Deus salûtis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.
D omine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.
Q uoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.
S acrificium Deo spiritus contribulatus: cor contrîtum, & humiliatum Deus non spernit.
B enignè fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.
T unc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc impônent super altare tuum vitulos.
G loria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.
Antiph. Peccavi, Domine, peccavi, & iniquè egi, munda me à peccatis meis: quia potens es, miserêre mei.
Antiph. Clamor noster Domine.

Psalmus 101.

D Omine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te perveniat.
N e avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclîna aurem tuam ad me.
I n quacunque die invocavero te: citò exaudi me.
Q uoniam defecêrunt sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.
P ercussus sum sicut fœnum, & aruit cor meum: quoniam oblîtus sum manducare panem meum.
A voce gemitus mei: adhæsit os meum carni meæ.
S imilis factus sum pellicâno in solitudine: & factus sum sicut nycticorax in domicilio.
V igilavi: & factus sum sicut passer singularis in ædificio.
T otâ die exprobrabant me inimîci mei: & qui laudabant me, adversùm me jurabant.
Q uoniam cinerem sicut panem manducavi: & potum meum cum fletu miscêbam.


A

A facie iræ tuæ, & indignationis tuæ: quoniam extollens elisisti me.
Dies mei sicut umbra declinati sunt: & ego velut fœnum arui.
Tu autem, Domine, in æternum manes: & memoriale tuum in generatione, & progenie.
Tu exurgens misereberis Sion, quoniam tempus miserendi ejus: quoniam venit tempus.
Quoniam beneplacitum habuêrunt servi tui lapides ejus: & pulveris ejus miserebuntur.
Et timêbunt gentes nomen Domini: & omnes reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in majestate sua.
Et respexit in orationes humilium: & non sprevit preces eorum.
Scribantur hæc in generatione altera: & plebs, quæ creabitur, laudabit Dominum.
Quoniam prospexit ex alto sancto suo: Dominus de cælo in terram prospexit.
Ut audîret gemitum vinculatorum: ut solvat filios morte afflictorum.
Ut annuntietur in Sion nomen Domini: & laus ejus in Jerusalem.
In conveniendo populos in unum: & reges, ut serviant Domino.
Et respondit illi in via virtûtis suæ: paucitatem dierum meorum annuntia mihi.
Ne edûcas me in dimidium dierum meorum: in generatione, & generatione anni tui.
Ab initio terram tu fundasti, Domine: & opera manuum tuarum sunt cæli.
Ipsi perîbunt, tu autem permanes; & omnes sicut vestimentum veterascent: & tamquam opertorium mutabis eos, & mutabuntur.

Tu

Tu autem idem ipse es: & anni tui non deficient.
Filii servorum tuorum habitabunt in ea: & semen ipsorum in æternum dirigêtur.
Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.
Antiph. Clamor noster, Domine, ad te perveniat.
Antiph. Fiant, Domine.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes: in vocem orationis meæ.
Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinêbit?
Quia apud te propitiatio est: & propter nomen tuum sustinui te, Domine.
Sustinuit anima mea in verbo tuo: speravit anima mea in Domino.
A vigilia matutîna usque in noctem: speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia est: & copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel: ab omnibus iniquitatibus eorum.
Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.
Antiph. Fiant, Domine, aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ.
Antiph. Exaudi me.

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe deprecationem meam in veritate tua.
Exaudi me in tua justitia: & non intres in judicium cum servo tuo.
Quoniàm non justificabitur in conspectu tuo: omnis vivens.
Quia persecûtus est inimîcus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collo-

Collocavit me in tenebris, ſicut mortuos æterni: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus.
In me conturbatum eſt cor meum, memoratus ſum diērum antiquorum: & meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabor.
Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra, ſine aqua tibi.
Velociter exaudi me, Domine: defēcit ſpiritus meus.
Ne avertas faciem tuam à me: & ero ſimilis deſcendentibus in lacum.
Audîtam mihi fac manè miſericordiam tuam: quia in te ſperavi, Domine.
Notam mihi fac, Domine, viam, in qua ambulem: quoniam ad te levavi animam meam.
Eripe me de inimîcis meis, Deus: quia ad te confûgi.
Doce me facere voluntatem tuam: quia tu es Deus meus.
Spiritus tuus bonus: dedûcet me in terram rectam.
Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in tua juſtitia: & edûces de tribulatione animam meam.
Et in miſericordia tua diſperdes inimîcos meos; & perdes omnes, qui tribulant animam meam: quià ego ſervus tuus ſum.
Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c.
Antiph. Exaudi me, Domine, in tua juſtitia: & non intres in judicium cum ſervo tuo.

Antiphona.

Infirmorum propitiator, abjectorum protector, deſperandorum ſalvator, Deus Patris mei, & Deus hæreditatis Iſrael, dominator cælorum, & terræ, creator aquarum, rex totîus creatûræ tuæ, exaudi preces noſtras.

LITANIÆ.

Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Domine miserêre. ℟. Domine miserêre.
Domine miserêre. ℟. Domine miserêre.
Domine miserêre. ℟. Domine miserêre.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
Christe libera nos. ℟. Salvator libera nos.
S. Marîa interc. pro eo. Si fuerit fœmina, dicat. pro ea.
Sancte Michael, intercede pro eo.
Sancte Gabriel, intercede pro eo.
Sancte Raphael, intercede pro eo.
Sancte Joannes, intercede pro eo.
Sancte Petre, intercede pro eo.
Sancte Paule, intercede pro eo.
Sancte Andrêa, intercede pro eo.
Sancte Jacôbe, intercede pro eo.
Sancte Joannes, intercede pro eo.
Sancte Philippe, intercede pro eo.
Sancte Bartholomæe, intercede pro eo.
Sancte Thoma, intercede pro eo.
Sancte Matthæe, intercede pro eo.
Sancte Jacôbe, intercede pro eo.
Sancte Simon, intercede pro eo.
Sancte Thadæe, intercede pro eo.
Sancte Mathîa, intercede pro eo.
Sancte Barnaba, intercede pro eo.
Sancte Marce, intercede pro eo.
Sancte Luca, intercede pro eo.
Sancte Stephane, intercede pro eo.
Sancte Protâsi, intercede pro eo.
Sancte Gervâsi, intercede pro eo.
Sancte Nazâri, intercede pro eo.

Sancte Celse,	intercede pro eo.
Sancte Victor,	intercede pro eo.
Sancte Nabor,	intercede pro eo.
Sancte Felix,	intercede pro eo.
Sancte Sisìni,	intercede pro eo.
Sancte Martyri,	intercede pro eo.
Sancte Alexander,	intercede pro eo.
Sancte Georgi,	intercede pro eo.
Sancte Vitâlis,	intercede pro eo.
Sancte Agricola,	intercede pro eo.
Sancte Marcelline,	intercede pro eo.
Sancte Babyla,	intercede pro eo.
Sancte Romane,	intercede pro eo.
Sancte Calimêri,	intercede pro eo.
Sancte Cornêli,	intercede pro eo.
Sancte Cypriane,	intercede pro eo.
Sancte Laurenti,	intercede pro eo.
Sancte Vincenti,	intercede pro eo.
Sancte Sebastiane,	intercede pro eo.
Sancte Cosma,	intercede pro eo.
Sancte Damiane,	intercede pro eo.
Sancte Fidêlis,	intercede pro eo.
Sancte Carpophore,	intercede pro eo.
Sancte Aquilîne,	intercede pro eo.
Sancta Thecla,	intercede pro eo.
Sancta Pelagia,	intercede pro eo.
Sancta Febronia,	intercede pro eo.
Sancta Valeria,	intercede pro eo.
Sancta Agnes,	intercede pro eo.
Sancta Catharina,	intercede pro eo.
Sancta Anastasia,	intercede pro eo.
Sancta Cæcilia,	intercede pro eo.
Sancta Agatha,	intercede pro eo.
Sancta Euphemia,	intercede pro eo.
Sancta Lucia,	intercede pro eo.

Sancta Margarita, intercede pro eo.
Sancta Apollonia, intercede pro eo.
Sancta Clara, intercede pro eo.
Sancta Justîna, intercede pro eo.
Sancta Marcellîna, intercede pro eo.
Sancta Ursula, intercede pro eo.
Sancta Martha, intercede pro eo.
Sancta Marìa Magdalêna, intercede pro eo.
Sancta Anna, intercede pro eo.
Sancta Perpetua, intercede pro eo.
Sancta Monica, intercede pro eo.
Sancte Joseph, intercede pro eo.
Sancte Anathalo, intercede pro eo.
Sancte Mirôcles, intercede pro eo.
Sancte Dionysi, intercede pro eo.
Sancte Materne, intercede pro eo.
Sancte Mona, intercede pro eo.
Sancte Simpliciane, intercede pro eo.
Sancte Sylvester, intercede pro eo.
Sancte Hieronyme, intercede pro eo.
Sancte Gregôri, intercede pro eo.
Sancte Benedicte, intercede pro eo.
Sancte Francisce, intercede pro eo.
Sancte Bernarde, intercede pro eo.
Sancte Augustine, intercede pro eo.
Sancte Nicolâe, intercede pro eo.
Sancte Martine, intercede pro eo.
Sancte Galdine, intercede pro eo.
Sancte Carole, intercede pro eo.
Sancte Ambrosi, intercede pro eo.
Omnes Sancti, intercedite pro eo.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Christe, ℟. Voces nostras.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.

Exaudi

Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Exaudi Deus. ℟. Et miserêre nobis.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Kyrie eleison. ℟. Kyrie eleison.
Pater noster. Secr. usque ad
℣. Et ne nos indûcas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
Credo in Deum. Secr. usque ad ℣. Carnis resurrectionem. ℟. Vitam æternam. Amen. ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto. ℟. Et de Sion tuêre eum. ℣. Nihil proficiat inimîcus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non adjiciat nocêre ei. ℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimîci, & persequentis. ℣. Domine exaudi orationem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Exurge Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oratio, quam super ægrôtum Parochus stans, manumque dexteram illi impônens dicit: quod idem faciunt reliqui Sacerdotes, qui adsunt.

Sanctum, ac venerabile nomen gloriæ tuæ invoco, excelse Deus, Pater omnipotens, qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui in altis habitas, & humilia respicis; respice super impositionem manuum, quam facimus super hunc famulum tuum N. quæ manus spiritualiter operentur super eum. Da ei, Domine, sanitatem corporis, & integritatem mentis, longanimitatem vitæ, prosperitatem in valetudine; & ab omni inquietudine

dine inimici libera eum, qui liberasti filios Israel de terra Ægypti, Petrum de custodia carceris, Paulum de vinculis, Susannam de falso crimine, Danièlem de lacu leônum, tres pueros de camino ignis ardentis, Jonam de profundo maris, Lot de Sodomis. Ita ei miserearis, Domine, qui misèrtus es civitati tuæ Ninivè. Domine, sis ei adjûtor, protector, atque defensor, sicut fuisti puero tuo David ad expugnandum Goliath: & aperi oculos cordis ejus ad cognoscendum voluntatem tuam, sicut aperuisti oculos capitis Tobìæ ad videndum visibilia, & perduc eum ad regnum tuum cæleste. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His precibus peractis, vel dum peraguntur, ut supra dictum est, Parochus pollice intincto oleo sacro ungit in formam crucis has septem corporis infirmi partes, oculos, aures, nares, os, manus, pedes, ac renes. Dumque ungit, verborum formam, ut infra, in singulis partibus profert, Crucis signum singulis etiam adhibendo. Ubi verò unamquamque partem unxit, ipsemet, aut Sacerdos alius, si adest, aut Clericus sacris initiatus partem inunctam continuò tergit bombacio, quod in vase mundo ponitur ad eum usum parato, quod secum portandum curabit, quodque deinde, peractâ totâ unctione, ad Ecclesiam defertur, & ibi comburitur, cineres verò projiciuntur in sacrarium.

Ad oculos, primò dexterum, deinde sinistrum.

Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam ✠ ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. ℟. Amen.

Ad aures.

Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam

diam ✠ ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per audîtum deliquisti. ℟. Amen.

Ad nares.

Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam ✠ ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per olfactum deliquisti. ℟. Amen.

Ad os, labris compressis.

Per istam unctionem, & suam pijssimam misericordiam ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum, & locutionem deliquisti. ℟. Amen.

Ad manus.

Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam ✠ ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. ℟. Amen. Sacerdoti infirmo non interiùs, sed exteriùs manus ungatur, ut supra dictum est.

Ad pedes, in plantis.

Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam ✠ ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. ℟. Amen.

Ad renes.

Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam ✠ indulgeat tibi Dominus quidquid per lumbôrum delectationem deliquisti. ℟. Amen.

Mulieri renes non unguntur, ut dictum est.

Postea Parochus digitum pollicem, quo unxit, medullâ panis benefricat, & aquâ abluit in vase supradicto: tum manutergio abstergit; ablutionis verò aquam cum micis refert in Sacrarium.

His finîtis, dicit sequentes orationes ad ægrôtum versus manibus extentis.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus omnium Patriarcharum, & omnium Sanctorum,

Deus universæ creatûræ conditor, qui dixisti Apostolis tuis; Ite, super ægros manus imponite; dæmonia ejicite; gratìs accepistis, gratìs date: ubi nos indigni, & peccatôres manus in tuo nomine imponimus, tu, Domine, tuam spiritalem imponere dignêris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Oratio.

Domine Deus, qui per Beatum Apostolum tuum Jacôbum dixisti; Infirmatur quis in vobis? indûcat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: cura, quæsumus, Redemptor noster, gratiâ Sancti Spiritus languôres istius infirmi, sana vulnera, ejusque remitte peccata, atque dolôres cunctos cordis, & corporis ab eo expelle, plenamque ei interiùs, exteriùsque sanitatem misericorditer redde: ut ope misericordiæ tuæ restitûtus, & sanatus ad pristina pietatis reparêtur officia. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Orationes sequentes alternâtim, si plures adsunt Sacerdotes, dicuntur: singulæ cum, **Dominus vobiscum;** & concluduntur item singulæ, **Per Dominum &c.** Si verò Parochus solus est, ipse singulas dicit, primæque tantùm præpônit, **Dominus vobiscum:** & ultimam solùm conclûdit, **Per Dominum &c.**

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti:

creasti: ut castigationibus emendatus continuò se sentiat tuâ medicinâ salvatum.

Deus, qui factûræ tuæ pio semper dominaris affectu, inclîna aurem tuam supplicationibus nostris: & famulum tuum adversâ valetudine corporis laborantem placatus respice; & visita eum in salutari tuo, & cælestis gratiæ præsta medicînam.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo, pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut redditâ sibi sanitate, gratiarum tibi referat actionem.

Deus, qui Beatum Petrum Apostolum misisti ad Tabîtham famulam tuam, ut ejus precibus suscitarêtur ad vitam: exaudi nos, quæsumus, & famulo tuo, quem in nomine tuo visitat nostra fragilitas, exorata medicînæ tuæ medêla subveniat.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtûtem: & ope misericordiæ tuæ adjûto salutiferam regni cælestis tribue medicînam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. K. k, k.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Quæ Parochus aget post ministrationem.

Parochus, ministrato Sacramento extrêmæ unctionis, si videt spatium vitæ esse, antequam discêdat, ægrôtum alloquêtur, & consolabitur brevibus, ac suavibus, ardentibusque verbis, quibus illum maxime hortêtur ad vim

ægritu-

ægritudinis patienter pro Christo Domino sustinendam, ad rerum humanarum cogitationes abiiciendas, ad satanæ suggestiones christianâ virtûte depellendas, ad spem de divina misericordia concipiendam, & ad desiderium inprimis vitæ æternæ. Tum præterea hæc hortabitur, ut se piorum, religiosorumque hominum precibus, & orationibus commendet, pias lectiones audiat, si potest, præcipuè Domini Passionem, quam ipse etiam Parochus pro opportunitate leget, eleemosynas, si potest, det, propositâque sibi ob oculos Christi Passione, & cruce, assiduè piè meditêtur mortem, quam omni sanctæ, christianæque humilitatis significatione fortiter obeat, velitque in cinere, & cilicio ut pœnitens mori, quemadmodum christianum hominem decêre Sanctus Martinus affirmavit, & suo exemplo docuit. Quòd si infirmus ita velle mori dixerit, tunc Parochus cinerem, & cilicium benedicet, ut infra suo loco.

Manibus etiam junctis instar Crucis, exemplo S. Ambrosii proposito, ut moriatur piè poterit monêri.

Ne verò Crucifixi imâgo, & etiam alia pro devotione desit morienti, cujus aspectu excitêtur, recreeturque: quam Crucifixi imaginem ipse etiam moriens manu piè tenêre poterit.

Monêbit præterea Parochus domesticos, ut pro infirmo orent, ac ne corporis curam deserant: hocque in primis, ut aliquot ante mortem horis mittant, qui se vocet, ut in commendatione animæ præsto esse possit.

De cura item spirituali ægrôti cetera præstare Parochus studêbit, quæ supra, titulo de visitatione infirmorum, ordine præscripta sunt.

Ad Ecclesiam demum, quomodo venit, redibit, devotè dicendo psalmum, Qui habitat, & alias pias orationes.

Alia officia Parochi erga infirmum prope moriturum.

Cum tempus instabit, quo ægrôtus prope moritûrus sit, Parochus tum celerrimè præstabit commendationis animæ

animæ officium, ut suo loco præscribitur; tum omni ratione infirmum tali tempore juvare conabitur.

Si indulgentiam ille ex legitima facultate consequi possit, in memoriam redigat, proponens etiam quid ad consequendum agi debeat. Si ipsi Parocho, aut Confessario fortè commissa sit ipsa concessio, utêtur formulâ ad id accommodatâ pag. 206.

Procul secedere jubêbit conjugem, liberos, domesticos, præsertim gementes, ac lugentes, eosque item, quos in vita caros ille habuit.

Magno etiam animæ fructu moribundus, quatenus expedire videbitur, ad fidei articulos, aliaque ut infra confirmanda, & profitenda inducêtur, maximè si ægrotantem, & morientem dæmonis impulsu aliquo modo hæsitantem, aut titubantem Parochus animadverterit; interrogatus autem ægrôtus verbis respondêbit: sin autem morbi vi respondêre linguâ non poterit, saltem dum mente integrâ est, nutu, aut signo aliquo exteriori respondêbit.

Interrogationes autem adhibêbit vulgâri sermône, si latinè ægrôtus nesciat; sunt autem hujusmodi.

Nonne, frater charissime, firmiter credis omnes articulos fidei, & quidquid Sancta Romana Catholica, & Apostolica credit Ecclesia? ℟. Credo.

Nonne detestaris, reprobas, & anathematîzas omnes hæreses, & quidquid eadem detestatur, reprobat, & anathematîzat Catholica Mater Ecclesia? ℟. Detestor, reprobo, & anathematîzo.

Nonne vis mori in soliditate fidei catholicæ, ut verus christianus? ℟. Volo.

Cognoscis ne te multùm, & sæpiùs offendisse Creatôrem tuum, animam tuam, & proximum tuum? ℟. Cognosco.

Doles ex corde de omni offensa qualitercunque contra Dominum Deum tuum, te ipsum, & proximum tuum commissa? ℟. Doleo. Nonne

Nonne omnem, quem pateris dolôrem, propter Deum in pœnitentiam tuorum peccatorum patienter, & æquanimiter toleras? ℟. Tolero.
Nonne te pœnitet ingratum fuisse Deo de multis beneficiis in te collâtis ad salûtem animæ tuæ? ℟. Pœnitet.
Et quòd toties recidisti in peccata, post acceptam ab eo misericordiam? ℟. Doleo.
Nonne cognoscis tibi òpus esse Dei misericordiâ, & quòd meritis passionis Jesu Christi pœnitens salvaberis? ℟. Cognosco.
Quæ prò majôri commoditate etiam vulgâri idiomate hìc ponuntur.
FRatello carissimo, non credete voi tutti gli articoli della fede, e tutto quello crede la S. Romana, ed Appostolica Chiesa? ℟. Io tutto credo.
Non detestate, riprovate, ed anatematizzate tutte l'eresie, e tutto ciò, che detesta, riprova, ed anatematizza l'istessa Cattolica S. Madre Chiesa? ℟. Io tutto detesto, riprovo, ed anatematizzo.
Non volete voi morire nella saldezza della fede Cattolica come vero Cristiano? ℟. Io così voglio morire.
Non conoscete d'avere grandemente, e più volte offeso il vostro Creatore, l'anima vostra, ed il prossimo vostro? ℟. Lo conosco.
Vi dolete di cuore d'ogni offesa, che avete in qualsivoglia modo commessa contra il vostro Signore Iddio, contra voi stesso, e contra il prossimo vostro? ℟. Me ne dolgo.
Tutto il dolore, che patite, non lo tollerate pazientemente, volentieri, e con animo quieto per amor di Dio in penitenza de vostri peccati? ℟. Così lo tollero.
Non vi pentite d'essere stato ingrato a Dio per tanti
bene-

beneficj, ch' egli vi ha fatto a salute dell' anima vostra? ℟. Me ne pento.

E che tante volte siate ricaduto ne' peccati dopo ricevuta da esso Dio la misericordia, ed il perdono? ℟. Me ne dolgo.

Non conoscete d'avere bisogno della misericordia di Dio, e che per li meriti della Passione di Gesù Cristo, penitente vi salverete? ℟. Lo conosco.

Poterit etiam quandôque cohortari, & facere, ut eo modo, quo potest, secum oret, etiam vulgâri sermône, si opus sit, aliquo ex infrascriptis modis, prout viderit expedîre animæ morientis.

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum: redemisti me, Domine Deus veritatis. Dulcissime Jesu Christe ob virtûtem tuæ sanctissimæ Passionis, jube me adscribi in numerum electorum tuorum: adjuva me Redemptor meus in hac extrêma necessitate; succurre animæ egenti, sed in te solùm speranti: totum me tibi do, non me renuas: ad te venio, non me repellas: sonet in mentis meæ auribus vox illa tua dulcis; Hodie mecum eris in Paradiso.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui pro salûte mundi in Cruce es felle, & acêto potatus: sicut tu, consummatis omnibus, in Cruce expîrans in manus Patris commendasti spiritum tuum; sic in hac hora mortis meæ in manus pietatis tuæ commendo animam meam, ut eam in pace suscipias, & electorum choris aggregari præcipias.

Deus meus, Deus meus, misericordia mea, refugium meum. Te desidero, ad te confugio, ad te venîre festîno; ne despicias me sub tremendo discrimine positum; adesto mihi propitius in his meis magnis necessitatibus. Ad te venio,

venio, qui nullis dees: cupio dissolvi, & esse tecum. In manus tuas commendo spiritum meum, Domine. Respice in me, Domine Deus veritatis: & præsta mihi Deus meus, ut in pace dormiam, & requiescam. Amen.

Hac itèm, & simili ratione poterit cohortari.

Commenda te Gloriosæ Virgini Mariæ dicens:

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.

Invoca Angelos, tuum præcipuè Custodem dicens:

Angele Dei, tu præsertim custos mihi assiste migranti ex hac vita: custodite me Angeli ab immundorum spirituum invasione: & animam meam in vestrum consortium assumite.

Commenda te Sanctis Dei, præsertim quibus magis devotus fuisti, dicens: Sancti Dei omnes vestro nunc mihi opus est patrocinio: vestris orationibus citò mihi succurrite: tu præsertim Beatissima Virgo, tu Sancte N. vel Sancta N., in quem, vel in quam confidentiam semper habui, in hoc extrêmo necessitatis articulo non me deseras: sed si unquam aliàs, nunc maximè me apud Deum adjuva.

Contingit sæpe Archiepiscopum aliis curis detentum non posse ægrotantes visitare, eisque indulgentiam impertîri; ob idque alium Sacerdotem, & quandôque etiam ipsummet Parochum delegare ad hujusmodi piam functionem. Quare ponitur hìc formula à delegato servanda in hac functione.

Primò igitur excitabit infirmum ad contritionem; posteà, dicto per Clericum **Confiteor**, ipso ægrôto attentè audiente, subjungit. **Misereatur tui &c. Indulgentiam, absolutionem &c.** tum demum indulgentiam ei impertit sic.

Et

Et ego, auctoritate mihi concessâ, & commissâ, impertio tibi Indulgentiam, & remissionem peccatorum tuorum. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.



ORDO

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ.



SI Parochus animam commendatûrus videt nullum, aut exiguum vitæ ægrôti spatium esse, animam commendabit statis religiosis, sanctisque precibus, ut infra.

Si verò spatium dabitur, tunc primò genibus flexis Litanîas dicit supra in ritu ministrandæ extrêmæ unctionis descriptas, sine antiphona tamen in principio, & sine precibus in fine, deinde cetera, ut infra ordine sequuntur.

VAle in Christo, pax tecum. Proficiscere anima de hoc mundo: migra in pace, in nomine Dei omnipotentis, Patris, ✠ qui te creavit: in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus, qui pro te passus est: in nomine Spiritus ✠ Sancti, qui in te effûsus est: in nomine Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque Sanctarum animarum Deo placentium. Hodie positus sit in pace locus tuus, & habitatio tua in sancta Jerusalem cælesti. ℟. Amen.

Subveniant tibi Sancti Angeli, & perdûcant te in Jerusalem cælestem. ℟. Amen.

Suscipiat te Beatus Petrus Apostolus, cui à Domino claves Regni cælestis traditæ sunt. ℟. Amen.

Egredere in pace, in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, qui te illuminet in vitam æternam,

nam, & resuscitet te in resurrectione in novissimo die. ℟. Amen.

Domine Jesu Christe, pastor bone suscipe animam servi tui in pace, & omnia ejus peccata dimitte. ℟. Amen.

Suscipe Domine servum tuum in bonum, & libera animam ejus ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & de omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Henoch, & Elîam de commûni morte mundi. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Noe de diluvio. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæôrum. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Isaac de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Jacob per benedictionem tuam. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaônis regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Job de passionibus suis. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti Jonam de ventre ceti. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti David de manibus Golîæ gigantis, & Saûlis regis. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tni, sicut liberasti Danièlem de lacu leônum. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, sicut liberasti tres pueros de camîno ignis ardentis, & de manu regis inîqui. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, ſicut liberaſti Suſannam de falſo crimine. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, ſicut liberaſti Petrum, & Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Libera Domine animam famuli tui, ſicut liberaſti Theclam de tribus tormentis. ℟. Amen.

Sic liberare dignêris Domine animam iſtius hominis, & tecum gaudêre concêdas in bonis cæleſtibus. ℟. Amen.

Oratio, quam cum aliis duabus ſequentibus Parochus dicit manibus ſuper moribundum impoſitis.

Miſericordiam tuam, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, qui pro noſtris ſupplicare peccatis nequâquam ſufficimus: tamen in tua confiſi gratuita pietate, & ſolita benignitate clementiam tuam depoſcimus, ut animam famuli tui ad te venientem miſericorditer ſuſcipias. Adſit ei Angelus teſtamenti tui Michael; & per manus Sanctorum Angelorum tuorum inter Sanctos, & electos tuos in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob Patriarcharum tuorum eum collocare dignêris: quatenus liberatus de principibus tenebrarum, & de locis pœnarum, nullis humanæ fragilitatis confundatur erroribus, ſed potiùs agnoſcatur à te, & ſanctæ beatitudinis requie perfruatur: atque, cum judicii dies advenerit, inter Sanctos, & electos tuos reſuſcitatus gloriâ beatiſſimæ viſionis perpetuò ſatiêtur.

Suſcipe Domine animam famuli tui de Ægypti exitu proficiſcentem ad te: & mitte Angelos tuos ſanctos obviam ei: & vias juſtitiæ demonſtra ei: & aperi ei portas juſtitiæ: & repelle ab ea principes tenebrarum. Agnoſce Domine creatûram tuam, non ex diis aliênis creatam, ſed à te ſolo Deo vivo, & vero: quia non eſt alius Deus præter te, Domine,

mine, & non eſt ſecundùm opera tua. Lætifica Domine animam famuli tui: ne memineris priſtinæ iniquitatis, & ebrietatis, quæ ſuſcitavit fervôrem mali deſiderii: licèt enim peccavit in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tamen non negavit, ſed credidit, & zelum Dei habuit, & Deum, qui fecit omnia, adoravit: qui ventûrus eſt judicare ſæculum per ignem.

In quacunque die, vel hora morte præoccupatus fueris, abſolûtus ſis à Patre, ✠ & Filio, ✠ & Spiritu ✠ Sancto: per Beatam Dei Genitrîcem, ac Virginem Marîam: & per Beatum Michaêlem Archangelum: & per Beatum Præcursôrem Chriſti Joannem Baptiſtam, qui dixit; pœnitentiam agite, appropinquavit enim judicium Dei: & per Beatum Petrum Principem Apoſtolorum, cui dedit Deus poteſtatem ligandi, ac ſolvendi in cælis, & in terra: & per omnes Sanctos, & electos Dei, per quorum interceſſionem te abſolvat omnipotens Deus, & liberet ab omni vinculo peccatorum tuorum. Qui vivit, & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper animam, & corpus tuum. ℟. Amen.

Animæ commendatione ſic adhibitâ, ſi vitæ ſpatium adhuc ſupereſt, pro temporis ratione, proque ægrôti diſpoſitione, & captu, cum eo dicere poterit Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, aut etiam Symbolum S. Athanaſii, ut infra; vel ei legere Domini Paſſionem, aut ſequentes Pſalmos, aut Sermônem Domini in cœna, ut infra.

Symbolum S. Athanaſii.

QUicunque vult ſalvus eſſe: ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit: absque dubio in æternum perîbit.

Fides autem catholica hæc est: ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate venerêmur.

Neque confundentes personas: neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una est divinitas: æquâlis gloria, coæterna majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni: sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi: sed unus increatus, & unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii: sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini: sed unus est Dominus.

Quia sicut singillâtim unamquamque personam Deum, ac Dominum confitêri christianâ veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere catholicâ religione prohibêmur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus. Spiri-

Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procêdens.

Unus ergo Pater, non tres Patres; unus Filius, non tres Filii; unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquáles.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse: ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salûtem: ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur: quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus, & homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: & homo est ex substantia matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æquâlis Patri secundùm divinitatem: minor Patre secundùm humanitatem.

Qui licèt Deus sit, & homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione divinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnìno non confusione substantiæ: sed unitate personæ.

Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus.

Qui passus est pro salûte nostra, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Pàtris omni-

omnipotentis: inde ventûrus est judicare vivos, & mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & redditûri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egêrunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit: salvus esse non poterit.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 29.

EXaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: & non delectasti inimîcos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te, & sanasti me; Domine abstraxisti ab inferno animam meam: salvasti me à descendentibus in lacum.

Psallite Domino Sancti ejus: & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in furôre ejus: & vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in mea abundantia: non movêbor in æternum.

Domine, in voluntate tua: præstitisti decôri meo virtûtem.

Avertisti autem faciem tuam à me: & factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem?

Nunquid confitebitur tibi pulvis: aut annuntiabit veritatem tuam?

Audîvit Dominus, & misertus est mihi: Dominus factus est adjûtor meus. Con-

C onvertiſti planctum meum in gaudium mihi : conſcidiſti ſaccum meum, & præcinxiſti me lætitiâ.

U t cantem tibi, gloria mea, & non compungar: Domine, Deus meus, in æternum confitêbor tibi.

G loria Patri, & Filio, &c.

Pſalmus 30.

IN te, Domine, ſperavi: non confundar in æternum.

In tua juſtitia libera me: & eripe me.

Inclîna ad me aurem tuam: accelera, ut eripias me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: ut ſalvum me facias.

Quia fortitûdo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum educabis me, & paſces me.

Edûces me de laqueo hoc, quem ſtatuêrunt mihi; quoniam tu es protector meus, Domine: in manus tuas commendo ſpiritum meum.

R edemiſti me, Domine, Deus veritatis: odiſti obſervantes vanitatem ſupervacuè.

Ego autem in Domino ſperabo: exultabo, & lætabor in tua miſericordia.

Q uoniam reſpexiſti humilitatem meam: ſalvam feciſti de neceſſitatibus animam meam.

N ec concluſiſti me in manus inimîci: ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.

M iſerêre mei, Domine, quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

Q uoniam defêcit in dolôre vita mea: & anni mei in gemitibus.

Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa mea conturbata ſunt.

P ræ omnibus inimîcis meis factus ſum opprobrium vicînis meis nimiùm: & timor notis meis.

Q ui vidêbant me foràs, fugiêbant à me; exîvi tan-

quam mortuus à corde: & factus sum sicut vas perditum.

Quoniam audîvi vituperationem multorum: circumhabitantium.

In eo dum convenîrent simul adversùm me: ut acciperent animam meam, consiliati sunt.

Ego autem in te, Domine, speravi; dixi, tu es Deus meus: in manibus tuis sortes meæ.

Libera me de manibus inimicorum meorum: & à persequentibus me.

Illumina faciem tuam super servum tuum, & salvum me fac in tua misericordia.

Domine, non confundar: quoniam invocavi te.

Erubescant impii, & deducantur in infernum; muta efficiantur labia dolôsa: quæ loquuntur adversùs justum iniquitatem, in superbia, & abusione.

Quàm magna multitûdo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te: & perfecisti sperantibus in te.

In conspectu filiorum hominum: abscondes eos in abdito vultus tui à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam in civitate circumstantiæ.

Ego autem dixi in pavôre meo: projectus sum à conspectu oculorum tuorum.

Ideò exaudisti, Domine, vocem orationis meæ: in eo dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes Sancti ejus, quoniam veritatem requîret Dominus: & retribuet iis, qui abundanter faciunt superbiam.

Viriliter agite, & confortêtur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psal-

Psalmus 34.

JUdica, Domine, nocentes me: expûgna impugnantes me.

Apprehende arma, & scutum: & exurge in adjutorium mihi.

Effunde frameam: & conclûde adversùs eos, qui me persequuntur.

Dic animæ meæ: salus tua ego sum.

Confundantur, & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & confundantur: qui cogitant mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante faciem venti; & Angelus Domini afflîgens eos.

Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis abscondêrunt mihi interitum laquei sui: vanè exprobravêrunt animam meam.

Veniat illis laqueus, quem ignôrant; & captio, quam occultavêrunt, apprehendat eos: & in laqueum incidant in idipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutare ejus.

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiôris ejus: egênum, & pauperem à diripientibus eum.

Assurgentes testes iniqui: quæ ignorabam, interrogabant me.

Retribuêbant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.

Ego autem, dum mihi molesti essent, induêbam me cilicium, & humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in sinum meum convertêtur.

Sicut proximum, & sicut fratrem nostrum, ita complacêbam: tamquam lugens, & contristatus sic humiliabar. Adver-

Adversùm me lætati sunt, & convenêrunt: congregata sunt in me flagella, & ignoravêrunt.

Dissolûti sunt, nec compuncti sunt: tentavêrunt me, & derisêrunt me derisu.

Stridêrunt in me dentibus suis: Domine, quando respicies?

Restitue animam meam à malefactis eorum: libera à leonibus unicam meam.

Confitêbor tibi, Domine, in Ecclesia magna: in populo gravi laudabo te.

Non insultent in me, qui adversantur mihi inîquè: qui odêrunt me gratìs, & annuêbant oculis.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & super iram dolôsè cogitabant.

Et dilatavêrunt in me os suum: dixêrunt, euge, euge, vidêrunt oculi nostri.

Vidisti, Domine, ne sileas: Domine, ne discêdas à me.

Exurge, Domine, & intende ad judicium meum: Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

Judica me, Domine, secundùm justitiam tuam: Domine, Deus meus, non insultent in me inimîci mei.

Non dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ: nec dicant, absorbuimus eum.

Erubescant, & revereantur simul, qui gratulantur malis meis: induantur pudôre, & reverentiâ, qui magna loquuntur super me.

Exultent, & lætentur, qui volunt justitiam meam: & dicant semper, magnificêtur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditabitur justitiam tuam: totâ die laudem tuam.

Gloria Patri, & Filio &c.

Psalmus 41.

Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitîvit

Sitìvit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam, & apparêbo ante faciem Dei?
Fuèrunt mihi lacrymæ meæ panis die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?
Hæc memoratus sum, & effûdi in me animam meam: quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.
In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.
Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?
Spera in Deum, quoniam confitêbor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.
Ad me ipsum anima mea turbata est; propterea memor ero tui, Domine, de terra Jordânis: & Hermoniim à monte modico.
Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.
Omnia excelsa tua: & fluctus tui super me transièrunt.
In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus apud me.
Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, susceptor meus es, quare me oblîtus es?
Quare tristis incêdo, dum affligit me inimîcus? dum confringuntur ossa mea, exprobravêrunt me inimîci mei.
Dum ipsi dicerent mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus?
Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?
Spera in Deum, quoniam confitêbor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 90.

QUi habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Dicet

Dicet Domino, susceptor meus es, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.
Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.
Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.
Scuto circumdabit te veritas ejus, non timêbis à timôre nocturno: & à jaculo volante per diem.
A negotio perambulante in tenebris: à ruîna, & dæmonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & dena millia à dextris tuis: ad te autem non approximabunt.
Veruntamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum vidêbis.
Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.
Non accêdent ad te mala: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.
In manibus portabunt te: ne quando offendas ad lapidem pedem tuum.
Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leônem, & dracônem.
Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognôvit nomen meum.
Invocabit me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione.
Eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine diêrum adimplêbo eum: & ostendam illi salutare meum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

S tan-

Stantes erant pedes noſtri: in atriis tuis Jeruſalem.
Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipſum.
Illuc enim aſcendêrunt Tribus, Tribus Domini: teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.
Quia illic ſedêrunt ſedes in judicio: ſedes ſuper domum David.
Interrogate, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtûte tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos: loquêbar pacem de te.
Propter domum Domini Dei mei: exquisîvi bona tibi.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Pſalmus 117.

Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.
Dicat nunc domus Iſrael, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.
Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.
Dicant nunc omnes, qui timent Dominum, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.
In tribulatione invocavi Dominum: & exaudîvit me in latitudine.
Dominus mihi adjûtor: & non timêbo, quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adjûtor: & ego vidêbo ſuper inimîcos meos.
Bonum eſt confidere in Domino: quàm confidere in homine.
Bonum eſt ſperare in Domino: quàm ſperare in principibus. Omnes

Omnes gentes circumdedêrunt me : ego autem in nomine Domini ultus sum eos.

Circumdantes circumdedêrunt me : ego autem in nomine Domini ultus sum eos.

Circumdedêrunt me sicut apes, & exarsêrunt sicut ignis in spinis : ego autem in nomine Domini ultus sum eos.

Impulsus versatus sum, ut caderem : & Dominus suscêpit me.

Virtus mea, & laus mea Dominus : & factus est mihi in salûtem.

Vox exultationis, & salûtis : in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtûtem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtûtem.

Non moriar, sed vivam : & enarrabo opera Domini.

Castîgans castigavit me Dominus : & morti non tradidit me.

Aperîte mihi portas justitiæ : & ingressus in eas confitêbor Domino.

Hæc porta Domini : justi ingredientur per eam.

Confitêbor tibi, Domine, quoniam exaudisti me : & factus es mihi in salûtem.

Lapidem, quem reprobavêrunt ædificantes : hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud : & est mirabile in oculis nostris.

Hæc dies, quam fecit Dominus : exultêmus, & lætêmur in ea.

O Domine salva nunc : ò Domine benè prospera nunc.

Benedictus, qui venit in nomine Domini, benediximus vos de domo Domini : Deus Dominus, & illuxit nobis.

Constituite solemnitatem in confrequentationibus : usque ad cornu altaris.

Deus

Deus meus es tu, & confitêbor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
Confitêbor tibi, Domine, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salûtem.
Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.
Gloria Patri, & Filio &c.

Psalmus 118.

BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
Beati, qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquîrunt eum.
Non enim qui operantur iniquitatem: in viis ejus ambulavêrunt.
Tu mandasti mandata tua: custodîri nimis.
Utinam dirigantur viæ meæ: ad custodiendas justificationes tuas.
Tunc non confundar: in respiciendo me in omnia mandata tua.
Confitêbor tibi in directione cordis: in eo, quòd didicerim omnia judicia justitiæ tuæ.
Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequâque.
In quo corrigit junior viam suam? in custodiendo sermônes tuos.
In toto corde meo exquisîvi te: non repellas me à mandatis tuis.
In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.
Benedictus es, Domine: doce me justificationes tuas.
In labiis meis pronuntiavi: omnia judicia oris tui.
In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus divitiis.
In mandatis tuis meditabor: & considerabo vias tuas.

In

In tuis justificationibus meditabor: & non oblivifcar fermônes tuos.
Retribue fervo tuo, ut vivam: & custodiam fermônes tuos.
Revêla oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.
Incola ego fum in terra: non abfcondas à me mandata tua.
Concupîvit anima mea: desiderare judicia tua in omni tempore.
Increpasti fuperbos: maledicti, qui declînant à mandatis tuis.
Aufer à me opprobrium, & contemptum: quia testimonia tua exquisîvi.
Etenim fedêrunt principes, & adversùm me loquebantur: fervus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus.
Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilia mea justitiæ tuæ.
Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me fecundùm verbum tuum.
Vias meas pronuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas.
Viam justificationum tuarum fac ut intelligam: & exercêbor in mirabilibus tuis.
Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in fermonibus tuis.
Viam iniquitatis amove à me: & de lege tua miferêre mei.
Viam veritatis elêgi: & judicia tua non fum oblîtus.
Adhæsi testimoniis tuis, Domine: noli me confundere.
Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatares cor meum.
Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum: & exquîram eam femper.

Da

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam eam in toto corde meo.
Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.
Inclina cor meum in testimonia tua: & non in avaritiam.
Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.
Statue servo tuo eloquium tuum: in timôre tuo.
Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia judicia tua jucunda.
Ecce concupivi mandata tua: in justitia tua vivifica me.
Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundùm eloquium tuum.
Et respondêbo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequâque: quia in judiciis tuis speravi.
Et custodiam legem tuam semper: in æternum, & in sæculum sæculi.
Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisivi.
Et loquêbar de testimoniis tuis in conspectu regum: & non confundêbar.
Et meditabor in mandatis tuis: quæ dilexi vehementer.
Et tuli manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercêbor in justificationibus tuis.
Memento verbi tui servo tuo: in quo mihi spem dedisti.
Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vivificavit me.
Superbi inîquè agêbant usquequâque: à lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum à ſæculo, Domine: & conſolatus ſum.

Tædium tenuit me: à peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant juſtificationes tuæ: in loco peregrinationis meæ.

Memor fui in nocte nominis tui, Domine: & cuſtodîvi legem tuam.

Hæc mihi facta eſt: quia juſtificationes tuas exquisîvi.

Portio mea es tu, Domine: dixi cuſtodîre legem tuam.

Deprecatus ſum vultum tuum in toto corde meo: miserêre mei ſecundùm eloquium tuum.

Quia cogitavi vias tuas: & averti pedes meos in teſtimonia tua.

Paratus ſum, & non ſum turbatus: ut cuſtodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi ſunt me: legem autem tuam non ſum oblîtus.

Mediâ nocte ſurgêbam ad confitendum tibi: ſuper judicia juſtitiæ tuæ.

Particeps ſum ego omnium timentium te: & cuſtodientium mandata tua.

Miſericordiâ tuâ, Domine, plena eſt terra: juſtificationes tuas doce me.

Bonitatem feciſti cum ſervo tuo, Domine: ſecundùm verbum tuum vivifica me.

Bonitatem, & diſciplînam, & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

Priuſquam humiliarer, ego delîqui: propterea eloquium tuum ego cuſtodîvi.

Bonus es tu, Domine: & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.

Coagu-

Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi, quòd humiliasti me: ut discerem justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui: super millia auri, & argenti.

Manus tuæ fecêrunt me, & plasmavêrunt me: da mihi intellectum, ut discam mandata tua.

Qui timent te, vidêbunt me, & lætabuntur: quia in verbis tuis speravi.

Cognôvi, Domine, quia judicia justitiæ tuæ: & in veritate tua humiliasti me.

Fiat verò misericordia tua, ut exhortêtur me: secundùm eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecêrunt super me: ego autem meditabor in mandatis tuis.

Convertantur mihi, qui timent te: & qui novêrunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis: ut non confundar.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Canticum Simeônis.

Nunc dimittis, Domine, servum tuum: secundùm verbum tuum in pace.

Quia vidêrunt oculi mei: salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Si tempus vitæ etiam dabitur, legi poterunt, quæ ordine sequuntur.

Sermo Domini in cœna.

Joan. 13. ANte diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœnâ factâ, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simônis Iscariôtæ: Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit; surgit à cœna, & ponit vestimenta sua; & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simônem Petrum: Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habêbis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes: Sciêbat enim, quisnam esset, qui traderet eum; propterea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum, & accêpit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister, & Domine: Et benè dicitis: Sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister; & vos debêtis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen, amen dico vobis: Non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptûra: Qui mandûcat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut, cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. Amen, amen dico vobis:

Qui

Qui accipit, si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu; & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. Aspiciêbant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligêbat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus; & dixit ei: Quis est, de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simônis Iscariôtæ. Et post buccellam, introîvit in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habêbat Judas, quòd dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egênis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exîvit continuò. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est filius hominis; & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso; & continuò clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quærêtis me; & sicut dixi Judæis: Quò ego vado, vos non potêstis venire; & vobis dico modò. Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectiônem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit Jesus: Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges. Non turbêtur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Pa-

tris mei mansiónes multæ sunt. Si quò minùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; & si abiero, & præparavero vobis locum; iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado, scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis; & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, & veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissêtis me, & Patrem meum utique cognovissêtis; & amodò cognoscêtis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Aliòquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis; qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majòra horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificêtur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscêtis eum; quia apud vos manêbit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos. Adhuc modicum; & mundus me jam non videt. Vos autem vidêtis me; quia ego vivo, & vos vivêtis. In illo die vos cognoscêtis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligêtur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifesta-

nifeſtabo ei me ipſum. Dicit ei Judas, non ille Iſcariótes: Domine, quid factum eſt, quia maniſeſtatûrus es nobis te ipſum, & non mundo? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Si quis diligit me, ſermônem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniêmus, & manſiônem apud eum faciêmus. Qui non diligit me, ſermônes meos non ſervat. Et ſermônem, quem audiſtis, non eſt meus; ſed ejus, qui miſit me, Patris. Hæc locûtus ſum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docêbit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbêtur cor veſtrum, neque formîdet. Audiſtis, quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligerêtis me, gauderêtis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me eſt. Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiſcum; venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc. Ego ſum vitis vera; & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi eſtis propter ſermônem, quem locûtus ſum vobis. Manête in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſinè me nihil poteſtis facere. Si quis in me non manſerit, mittêtur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint; quodcunque volueritis, petêtis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut

fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manête in dilectiône mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectiône mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectiône. Hæc locûtus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majôrem hac dilectiônem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos; quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunque audîvi à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis; sed ego elêgi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat; ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitôte, quia me priôrem vobis odio habuit. Si de mundo fuissêtis, mundus, quod suum erat, diligeret: Quia verò de mundo non estis, sed ego elêgi vos de mundo, proptereà odit vos mundus. Mementôte sermônis mei, quem ego dixi vobis. Non est servus major Domino suo. Si me persecûti sunt, & vos persequentur: Si sermônem meum servavêrunt, & vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum; quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & locûtus fuissem eis, peccatum non habêrent: Nunc autem excusatiônem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non habêrent: Nunc autem & vidêrunt, & odêrunt & me, & Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuêrunt me gratis. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procêdit, ille testimo-

nium

nium perhibêbit de me; & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locûtus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagôgis facient vos: Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitrêtur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non novêrunt Patrem, neque me. Sed hæc locûtus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia hæc locûtus sum vobis, tristitia implêvit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam: Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non credidêrunt in me: De justitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docêbit vos omnem veritatem. Non enim loquêtur à semetipso; sed quæcunque audiet, loquêtur, & quæ ventûra sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque hâbet Pater, mea sunt. Propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixêrunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicêbant ergo: Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus, quid loquitur. Cognóvit autem Jesus, quia volêbant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum, & non videbitis me, & iterum modi-

modicum, & videbitis me. Amen, amen dico vobis; quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudêbit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertêtur in gaudium. Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressûræ propter gaudium; quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habêtis, iterum autem vidêbo vos, & gaudêbit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipiêtis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locûtus sum vobis. Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petêtis: Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exîvi. Exîvi à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi. Respondit eis Jesus: Modò creditis? Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis, & non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locûtus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressûram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Hæc locûtus est Jesus; & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna; ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super

terram;

terram; opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermônem tuum servavêrunt. Nunc cognovêrunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi accepêrunt, & cognovêrunt verè, quia à te exîvi, & credidêrunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt; & clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut & nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditiônis, ut Scriptûra impleatur. Nunc autem ad te venio; & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum implêtum in semetipsis. Ego dedi eis sermônem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico me ipsum; ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui creditûri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me; ut sint consummati in unum; & cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi,

mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognôvit: Ego autem te cognôvi, & hi cognovêrunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam; ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

PASSIO D. N. JESU CHRISTI secundùm Lucam.

Luc. 22. APpropinquabat autem dies festus Azymôrum, qui dicitur Pascha: Et quærêbant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent: Timêbant verò plebem. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariôtes, unum de duodecim. Et abiit, & locûtus est cum Principibus Sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quærêbat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymôrum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum, & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducêmus. At illi dixêrunt: Ubi vis parêmus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicêtis patrifamilias domus: Dicit tibi magister; ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis mandûcem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem invenêrunt sicut dixit illis, & paravêrunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

veniat. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundêtur. Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Et quidem filius hominis, ſecundùm quod definîtum eſt, vadit; veruntamen væ homini illi, per quem tradêtur. Et ipſi cœperunt quærere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc factûrus eſſet. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum viderêtur eſſe major. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum; & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: Et ego diſpôno vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. Ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo; & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſrael. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce ſatanas expetîvit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi Petre: Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. Et dixit eis: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram: Et qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod ſcriptum eſt, oportet implêri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Ete-

nim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixêrunt: Domine, ecce duo gladii hìc. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum. Secûti sunt autem illum & discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intrêtis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis quantúm jactus est lapidis; & positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me: Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonìa prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, invênit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormìtis? Surgite, orate, ne intrêtis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedêbat eos; & appropinquavit Jesu, ut oscularêtur eum. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo Filium hominis tradis? Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futûrum erat, dixêrunt ei. Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex illis servum Principis Sacerdôtum, & amputavit auriculam ejus dexteram. Respondens autem Jesus ait: Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus templi, & Seniôres: Quasi ad latrônem existis cum gladiis, & fustibus? Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrârum. Comprehendentes autem eum duxêrunt ad domum Principis Sacerdotum: Petrus verò sequebatur à longè. Accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negavit eum dicens: Mulier, non novi illum.

Et

Et poſt puſillum alius videns eum dixit: Et tu de *illis* es. Petrus verò ait: O homo, non ſum. Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat; nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuò, adhuc illo loquente, cantavit gallus. Et converſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat; quia priuſquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foràs Petrus flevit amárè. Et viri, qui tenêbant illum, illudêbant ei cædentes. Et velavêrunt eum, & percutiêbant faciem ejus; & interrogabant eum dicentes: Prophetîza, quis eſt, qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicêbant in eum. Et ut factus eſt dies, convenêrunt ſeniôres plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxêrunt illum in concilium ſuum dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credêtis mihi; ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittêtis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtûtis Dei. Dixêrunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixêrunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audivimus de ore ejus. Et ſurgens omnis multitûdo eorum duxêrunt illum ad Pilatum. Cœpêrunt autem illum accuſare dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tribûta dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum, & turbas: Nihil invenio cauſæ in hoc homine. At illi invaleſcêbant dicentes: Commovet populum docens per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa uſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, ſi homo Galilæus eſſet. Et ut cognôvit, quòd de Herôdis poteſtate eſſet, remîſit eum ad Herôdem, qui

&

& ipse Jerosolymis erat illis diêbus. Herôdes autem, viso Jesu, gavîsus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore vidêre eum, eo quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod vidêre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondêbat. Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herôdes cum exercitu suo; & illûsit indûtum veste albâ, & remîsit ad Pilatum. Et facti sunt amîci Herôdes, & Pilatus in ipsa die, nam antea inimîci erant ad invicem. Pilatus autem, convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herôdes; nam remîsi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habêbat dimittere eis per diem festum, unum. Exclamavit autem simul universa turba dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam, qui erat propter seditiônem quandam factam in civitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locûtus est ad eos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo: Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigerêtur. Et invalescêbant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimîsit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditiônem missus fuerat in carcerem, quem petêbant: Jesum verò tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehendêrunt Simônem quendam Cyrenensem venientem de villa; & imposuêrunt illi crucem portare

post

post Jesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangêbant, & lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus dixit: Filiæ Jerusalém nolìte flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuêrunt, & ubera, quæ non lactavêrunt. Tunc incipient dicere montibus; cadite super nos; & collibus; operìte nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et postquam venêrunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixêrunt eum, & latrônes, unum à dextris, & alterum à sinistris. Jesus autem dicêbat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt. Dividentes verò vestimenta ejus misêrunt sortes. Et stabat populus spectans, & deridêbant eum Principes cum eis dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat; si hic est Christus Dei electus. Illudêbant autem ei & milites accedentes, & acêtum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris græcis, & latînis, & hebraicis: Hic est Rex Judæorum. Unus autem de his, qui pendêbant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatiône es. Et nos quidem justè; nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit. Et dicêbat ad Jesum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso. Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol; Et velum templi scissum est medium. Et clamans voce magnâ Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo

 spiritum

ſpiritum meum. Et hæc dicens expiravit. Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens: Verè hic homo juſtus erat. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & vidêbant, quæ fiêbant, percutientes pectora ſua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres, quæ ſecûtæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

Et ecce vir nomine Joſeph, qui erat decurio, vir bonus, & juſtus, hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum, ab Arimathæa Civitate Judææ, qui expectabat & ipſe regnum Dei. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu: Et depoſitum involvit ſindone, & poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.

Poterit etiam Parochus dicere ſequentes orationes, aut earum aliquas. Oratio.

O Suaviſſime Domine Jeſu Chriſte beatorum requies, & omnium in te ſperantium jucundiſſima ſalus, qui in nocte paſſiônis tuæ ad Patrem oraſti dicens: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat; quique illâ horâ in tanta anguſtia fuiſti, ut de pretioſo corpore tuo ſanguis efflueret: precamur te, bone Jeſu, quatenus animam famuli tui N. tuâ ſolitâ pietate juves; ut pro ſuis delictis conteratur, & moveatur ad veram pœnitentiam, ut in hac extrêma hora in occurſu adverſarii non paveat; nec in adventu, aut aſpectu tuo, Judex tremende, accuſante conſcientiâ, contremiſcat; ſed potiùs faciem tuam in jubilo videns lætêtur; præſtante te, Domine Jeſu Chriſte, cujus eſt paſſiône redemptus. ℟. Amen.

Oratio.

O Sacratiſſime Domine Jeſu Salvator mundi, qui ob peccata noſtra abolenda crudeliter verberari, ſpinis turpiter coronari, ab æmulis tuis enormiter delûdi, & in

in cruce nudus, ut latro, ignominiòsè affigi voluisti: Exoramus te, Domine Jesu, per has passiònes tuas, ut animam hujus famùli tui N. in extrêmis laborantis, verâ contritiòne in peccatorum commissorum dolòre verberes, & vero timòre corònes, & in cruce tua omnes ejus mentales sensus crucifigas; quatenus sic totus à te spiritualiter vulneratus, tuorum vulnerum merito, omnium delictorum suorum veniam consequatur, & ad gaudia cælestia pervenìre mereatur. ℟. Amen.

Oratio.

O Piissime Domine Jesu Rex sæculorum, qui in cruce existens pro tuis crucifixoribus Patrem rogasti dicens: Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt; deprecamur majestatem tuam, Domine Jesu, ut in mente hujus servi tui N. tuæ oratiònis affectum renovare dignêris; quatenus omnes ejus offensas illi dimittas, & sicut tunc tu exauditus fuisti, sic nunc cum Patre nos pro illo exorantes exaudìre dignêris: Nescit enim quid faciat, dum ex fidei tarditate tepidus coram te existit. Exoramus te, bone Jesu, ut in hoc obitu suo omnia peccata illi dimittas, & pro tuæ sacratissimæ passiònis merito ad Angelorum societatem eum clementer perdùcas. ℟. Amen.

Oratio.

O Gloriosissime Domine Jesu dulcêdo Angelòrum, qui in cruce pro nobis pendens veram fidei lucem in cor latrònis infudisti, ut te verum Deum, & hominem cognosceret, dum clamavit: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum: Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut in famulo tuo N. in extrêmis laborante venerabile fidei Sacramentum conservare dignêris, quatenus tuâ sacratissimâ passiòne mediante, sic in animam ejus tuum amòrem imprimas, ut in suo obitu tuo ardentissimo amòre ab immundis spirìtibus liberêtur, & ad tuam beatam gloriam jubilòsè perducatur. ℟. Amen.

Oratio.

O Sacratissime Domine Jesu corôna certantium, qui in cruce pro nobis pendens docuisti nos compendiôsè in nostris extrêmis orare; dum tu nobis exemplum tribuens clamasti: Pater in manus tuas commendo spiritum meum: Exoramus Majestatem tuam, quatenus in virtûte Spiritus sancti eandem dignêris oratiônem in corde hujus famuli tui N. imprimere, ut eam personet, & in hac ejus extrêma hora illius sentiat effectum, in tuas sacratissimas manus animam suam humiliter recommendando. ℟. Amen.

Oratio.

O Piissime Domine Jesu Dei, & hominum mediâtor, qui pro salûte nostra pœnas nobis debitas in tuo passibili corpore sustinuisti; & ut graviôres pœnarum amaritudines gustares, spontè voluisti in hora tuæ Passiônis à tua humanitate dulcedinem unitæ tibi Deitatis subtrahere, dum clamasti: Eloi Eloi lammasabacthani: Oramus clementiam tuam, quatenus, suavissime Domine Jesu, hujus servi tui N. animam protegendo tuâ suâvi consolatiône lætifices; nam si ipsum ipse pastor deseris, mox adversarius tuus in ipsum irruet, & occîdet; si propter demerita sua tribulari, & deseri merêtur, quæsumus suavissimam bonitatem tuam, ne illum adversariis tradas diffidentiæ, & desperatiônis tenebris tribulandum, nec insensibilem ad gratiam facias; sed pro charitatis tuæ gratia vivens, & tuæ absentiæ amaritudinem sentiens, piâ voce gemendo, ad te clamet: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Tu autem, piissime Pater, & Pastor tuâ suâvi pietate subveni, quem pretiôso sanguine tuo redemisti; nec tua gratia diu ipsum in hoc obitu patiatur affligi, donec ad cælestem patriam tuôrum merito dolôrum clementer perdûcas. ℟. Amen.

Ora-

Oratio.

O Maria beatissima, propter illius terrôris commotiônem, quo cor tuum contremuit, quando Filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi ab impiis captum, ligatum, ad supplicia tractum, & ab omnibus derelictum esse audisti; adjuva nunc servum tuum N. in extrêmis laborantem, quatenus de præteritis delictis veram contritiônem habeat, & dolôrem; & illìus cor illustratum superno splendôre sit in fervida pœnitentia, ne fortè in hoc obitu suo, in occursu adversarii paveat, aut in adventu, & aspectu tremendi judicii, accusante conscientiâ, contremiscat; sed potiùs precibus tuis intervenientibus, ipsìus faciem in jubilo videns delectêtur. ℟. Amen.

Oratio.

O Virgo dulcissima Dei Genitrix Marìa, propter planctus, & lacrymas, quibus afficiebâris, quando Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi vidisti Præsidi præsentari, ab inìquis innocentem accusari, & opprobriis affici: Impetra huic famulo tuo N. lacrymarum gratiam, & sacræ fidei indelebile lumen, quo offensiônis maculas abluere valeat. Et tu, Mater gloriosa, eum nunc adjuva, ne satanas illudere possit, ac diversis tentationibus pro libito suo flagellare, devictumque reum statuere terribili Judici; sed potiùs se ipsum in lumine fidei judicet in præsenti, ac disciplìnis veræ pœnitentiæ devôtè flagellet. ℟. Amen.

Oratio.

O Marìa suavissima Dei Genitrix, ob cruciatus, & angustias, quas sustinuit cor tuum, quando Filius tuus Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, clamantibus Judæis, crucifige, morti adjudicatus, & crucis supplicio condemnatus est; subveni, piissima Mater, huic servo tuo N. in extrêmis laboranti, quia corpus

illîus dolôre infirmitatis torquêtur, & anima hinc per dæmonum insidias, hinc per terrôrem discrêtæ discussiônis angustiatur. Subveni, inquam, suavissima Domina, ne æternæ mortis sententia contra illum feratur, aut flammis æternalibus tradatur perpetuò cruciandus; verùm, te pro ipso intercedente, ad cælestem gloriam potiùs pervenîre mereatur. ℟. Amen. Oratio.

O Virgo clementissima Dei genitrix Marîa, ob illîus dolôris gladium, qui tuam felicissimam animam pertransîvit, quando cernêbas Filium tuum delicatissimum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi, nudum in cruce levatum, clavis perforatum, cruôre perfûsum, ac plagis, & vulneribus laceratum: Adjuva nunc, beatissima Domina, animam famuli tui N., ut compassiônis gladius eam perfodiat, divîni timôris, & amôris lanceâ vulnerêtur; ita ut omnis peccatí sanguis noxius à pectore suo effluat, vitiisque mundêtur, & divînis virtutibus decorêtur; quatenus desiderio, & toto affectu terrena despiciens ad cælestia sublevêtur, ad quæ, te deducente, jubilôsè pervenîre mereatur. ℟. Amen.

Oratio.

O Marîa Virgo sanctissima, ob tormentum, & gravâmen, quod cor tuum sustinuit, quando Filium tuum sanctissimum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi præ dolôre voce magnâ clamantem, & te Matrem dilectam Joanni commendantem deficientem attendêbas; ita ut præ nimio dolôris gladio vulnerata loqui non poteras: Subveni, ò gloriosa Domina, huic fámulo tuo N., quia lingua ejus ad te invocandum se movêre non potest, oculi ejus lumine privantur, aures ejus surdescunt, & obturantur, omnesque vires, ac sensus deficiunt. O piissima Mater exaudi preces nostras, quas ad aures tuæ pietatis fundimus, & subveni sibi in hoc obitu suo; ac suavissimo Filio tuo ejus spiritum commenda,

menda, quatenus tuo pio interventu à terroribus, & tormentis eruatur, & ad desideratam cælestis patriæ requiem, te comitante, jubilòsè pervenîre mereatur. ℞. Amen.

Oratio.

O Maria Virgo castissima, ob acerbi ejulâtus planctum, quem de profundo pectoris erumpentem abscondere non valêbas, quando in amplexu Filii tui ruêbas, cujus genas ante nitentes, & ora rutilantia mortis palloribus perfundi conspiciêbas: Auxiliare suavissima Domina nostra huic servo tuo N., quatenus de delictis commissis sic doleat, ut anima ejus mellifluis osculis, & amorôsis amplexibus Domini nostri Jesu Christi in cælorum beatissimo regno dignè valeat perfrui. ℞. Amen.

Oratio.

O Maria Virgo pulcherrima, Virgo humillima, Virgo clementissima, Virgo gratiosissima, propter suspiria, atque lamenta inaudîta, quibus tuum dulcissimum cor excruciabatur, quando animæ tuæ solatium unicum Jesum Filium tuum, & Salvatôrem nostrum sepultûræ tradi cernêbas: Adjuva famuli tui N. animam in hac lacrymarum valle laborantem, ut in egressu de corpore virginalibus tuis manibus erepta deducatur in cælum. ℞. Amen.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophêtæ dixisti: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui: Obsecro te, ut eandem charitatem tuam, quæ te de cælo ad terram, ad tolerandas omnium passiônum tuarum amaritudines attraxit, offerre, & ostendere dignêris Deo Patri omnipotenti pro anima hujus famuli tui N., & libera eum ab omnibus passionibus, & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse, & salva animam ejus in hac hora exitus sui in gloria æterna. Et tu piissime

Domine Jesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo sanguine tuo, miserêre animæ hujus famuli tui, & eum introducere dignêris ad semper virentia, & amœna loca Paradisi, ut vivat ibi amôre invisibili, qui à te, & ab electis tuis separari nunquam potest. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in Trinitate perfecta, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postquam anima egressa fuerit de corpore, ad circumstantes dicat Sacerdos.

PIo recordatiônis affectu, fratres, commemoratiônem faciamus chari nostri, quem Dominus de tentationibus hujus sæculi assumpsit, obsecrantes misericordiam ejus, ut ei retribuere dignêtur placitam, & quiêtam mansiônem, remittatque omnes lubricæ temeritatis offensas; ut, concessâ veniâ plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc sæculo proprio reâtu delîquit, ineffabili pietate, ac benignitate suâ deleat, & abstergat, quod ipse præstare dignêtur.

Postea ita oret. Oratio.

DEus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius; te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui N. per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum amîci tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in novissimo magni judicii die; & quidquid vitiorum contraxit, tu pius, & misericors abluas indulgendo. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

DEus, qui animarum æternus amâtor es, animam famuli tui N., quam vera, dum in corpore manêret, tenuit fides, ab omni cruciâtu inferôrum redde secûram ut segregata ab infernalibus claustris, Sanctorum tuorum merca-

mereatur adunari consortio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. Anima istius, & animæ omnium fidelium defunctorum per Dei misericordiam requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde aspergat corpus defuncti aquâ benedictâ.



DE

DE SACRAMENTO ORDINIS

Rubricæ, seu Instructiones

Quæ Parochus doceat, & exequatur.



Acramenti Ordinis dignitas, utilitas, & necessitas quanta sit, ex eo perspicuè manifestum est, quòd alia Sacramenta ab illo ita pendent, ut sinè eo illa, partim confici, ministrarìque nullo modo possint, partim solemni cæremoniâ, & religioso quodam ritu, ac pio cultu carêre videantur.

Atque si summus ejus gradus spectêtur, hoc est Sacerdotium, ejus nobilitas, atque excellentia apparêbit: Sacerdotes enim Dei interpretes, & internuncii quidam sunt, qui ejus nomine divìnam legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipsìus Dei persônam in terris gerunt. Non Angeli solùm, sed Dii etiam appellantur, quòd Dei immortalis vim, & numen apud nos teneant. Potestas Corpus, & Sanguinem Domini nostri conficiendi, & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collâta est, humanam quoque ratiônem, atque intelligentiam superat, nedum ei aliquid par, & simile in terris invenîri queat. Inferiôrum quoque graduum dignitas ex eodem ipso capite potest demonstrari, prout magìs, minùsve ad altaris Sacramenta suo quisque ministerio accêdit.

Cum igitur hoc Sacramentum Archiepiscopus, edicto proposito, se ministratûrum esse significabit, hæc, & alia multa

multa ex Catechiſmo Romano, & aliis doctrinis opportûno tempore Parochus tradet populo, & iis præſertim, qui Ordines ſuſceptûri ſunt, & hæc præterea exequêtur.

Edictum de ſacra Ordinatiône, præfinîto tempore, promulgabit; litteras paſtorales item eo ipſo de genere.

Proceſſiônem eo ipſo promulgatiônis die intra ambitum Eccleſiæ aget, litaniaſque ſupplex recitabit.

Singulis diebus Dominicis per menſem, ante ſtata Ordinatiônis tempora, præmonêbit, atque hortabitur populum ad piè, religioſèque precandum pro ſacra Ordinatiône proximè futûra.

Dominico autem die Ordinatiônem proximè antecedente, litteras Archiepiſcopi paſtorales iterum de ſcripto recitabit.

Supplicatiônem præterea, proceſſionemve ſtatam iterum obîbit.

Denuntiabit populo ex præſcripta formula ſtatorum ſacrorum temporum jejunia, & frequentius ob ſacræ Ordinatiônis cauſam oratiônis ſtudium, præſertim ſtatis feriis, quartâ ſcilicet, ſextâ, & Sabbato.

Formula denuntiationis temporum.

QUod ſacrorum temporum ratio, & devotiônis chriſtianæ admonet conſuetûdo, paternâ vobis, dilectiſſimi, ſolicitudine denuntiamus, menſis N. ſacrum celebrandum eſſe jejunium, divinitus inſpiratâ doctrinâ præceptum, ac ſtatis menſium curriculis diſtribûtum; ut lege abſtinentiæ omnibus adſcriptâ temporibus, & aliis chriſtianæ militiæ præſidiis, ad mentium noſtrarum, corporumque ſanctificatiônem divînè inſtitûtis, ſtato diêrum intervallo, ſinè ceſſatiône renovatis, nos ardentiôri curâ, majorîque ſtudio in ſalûtis curſu progrediamur, quò ſpecialiùs præſtitûti ſunt dies ad pietatis officia. Quartâ igitur, & ſextâ feriâ, & Sabbato jejunêmus; frequentes

quentes in Cathedrali, Parochialique Ecclesia ad litanias, orationemque conveniamus; & quò sacris illis feriis à cibo abstinentiôres esse debêmus, eò abundantiôri eleemosynarum liberalitate erga Christi pauperes effusiôres simus; tum Sabbato præterea oratiônem parochialem communem celebrêmus, quâ & pro spe felicitatis æternæ, ad quam per fidem currimus, & pro sacra Ordinatiône, quam eo die à Reverendissimo Archiepiscopo habêri solemne est, & pro iis commodis, quæ singulorum annorum revolutiône consequimur, Deo omnipotenti gratias agamus; eundemque religiosis supplicationibus orêmus, quatenus Sanctorum, quorum patrocinia imploramus, suffragantibus meritis, ejus misericordiam in omnibus impetrêmus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Monêbit autem præcipuè, ut populus precêtur & pro Archiepiscopo, ut Ordines iis conferat, quos utiles operarios Ecclesia postulat, & pro iis, qui Ordines suscipient, ut in dies habeant majôres progressiônes in sanctis virtutibus.

Et verò cum vel edictum Archiepiscopale, vel litteras ejus generis pastorales, vel eorum, qui hoc Sacramento initiandi sunt, nomina evulgabit, vel tempore oratiônis, de illius dignitate sermônem studiôsè instituet ad populum, ut supra demonstratum est.

Quo in tractatiônis genere ita toto animo, atque adeò omni piarum meditatiônum studio incumbet, ut, cum sibi, tum aliis etiam ecclesiastici ordinis hominibus, tum parochialibus suis concionando verè prosit.

Primùm verò ipse sanctis meditationibus, & precibus se se etiam, atque etiam excitabit ad eam gratiam resuscitandam, quam hoc Sacramento adeptus est. Deinde eo intimæ piæ meditatiônis studio accensus, cum alios,

alios, qui ad Ordines vocati sunt, ad eadem pietatis officia Ordinis dignitati convenientia vehementiùs inflammabit; tum alios clericâlis ordinis homines ad earum rerum cognitiònem erudiet, atque instruet, quibus viam sibi ad ulteriôrès gradus faciliùs munîre possint.

Præterea alios accendet, qui vel suâ sponte, & voluntate, vel parentum cohortationibus clericâlis vitæ genus sequi velint.

Parentes etiam excitabit, ut filios huic militiæ sacræ offerant; oblatosque religiosè educent, aut educandos curent. Et quos offerunt, meliôres, & aptiôres ministerio Dei deligant, & quorum indoles præseferat spem virtûtum disciplînæ sanctissimæ clericâlis.

Docêbit item, quâ intentiône offerant, non rei familiaris augendæ causâ, non quæstus aviditate, non familiæ suæ sustentandæ studio, non honôrum cupiditate, non ambitiône, neque denique rei alterius cujusvis humanæ affectu, sed eâ solùm causâ, ut Deo, Ecclesiæque serviant.

Reliquis autem fidelibus ostendet, quanta sit Cleri dignitas, & quo honòre digni Ecclesiæ ministri. Proinde graviter, paternèque eos arguet, qui Clericos, Sacerdotesve negligunt, vel aspernantur. Propônet istis molestias, curas, vigilias, quas populi causâ illi sustinent; usque adeò ut isti intelligant honôrem, quem ipsi Clericâli, Sacerdotalîve dignitati præstant, non tanti esse, qui dignitatis, officii, & labôrum Sacerdotalium, Clericaliumve magnitudinem adæquet.

Iniquum esse demonstrabit honôrem Sacerdotibus non exhibêre, qui se se pro populo Deo obstrinxêrunt.

Docêbit præterea dignitatem Sacerdotâlem, Clericalemque non á persôna eorum, qui illam obtinent, sive obscûro loco, sive humili genere nati sint, sed ab officii munere, administrationeque pendêre; nec propterea illos

los æstimandos esse, quatenus homines sunt, sed tamquam dispensatôres mysteriorum Dei, quorum omnis administratio illis commissa ad populi salûtem, & perpetuam utilitatem spectat.

Sed cum multæ summorum Pontificum Epistolæ, & Canones demonstrant, ac declarant honôrem, qui honoratis Clericis, quos Sacerdotes, & Diaconos intelligunt, tribui debet; tum verò unus præcipuus est à Concilii Matisconensis Patribus conscriptus in hanc ipsam sententiam: Statuimus, ut si quis quempiam Clericorum honoratorum in itinere obvium habuerit, usque ad inferiôrem gradum honôris venerantur, sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cujus officia, & obsequia fidelissima Christianitatis jura promeruit. Et si quidem ille sæculâris equo vehitur, Clericusque similiter, sæculâris galêrum de capite auferat, & Clerico sincêræ salutatiônis munus adhibeat; si verò Clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo, illico ad terram defluat, & debitum honôrem prædicto Clerico sincêræ charitatis exhibeat, ut Deus, qui vera charitas est, in utrisque lætêtur, & dilectiône suâ utrumque adsciscat. Qui veró hæc, quæ Spiritu sancto dictante sancita sunt, transgredi voluerit, ab Ecclesia, quam in suis ministris dehonôrat, quandiu Episcopus illius Ecclesiæ voluerit, suspendatur.

Quàm gratus autem sit Deo honor, quàm grata obedientia, quæ ecclesiasticis hominibus, præsertim Sacerdotibus, præstatur, facilè ostendet sacrarum litterarum doctrinis; rursusque quod præmium ob eam causam à Deo ferent, qui illius ministros suscipiunt, & honôrant, quique illis obediunt. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; & qui recipit Prophêtam in nomine Prophêtæ, mercêdem Prophêtæ accipiet; inquit Christus Dominus.

Sunt

Sunt hujus generis loci quamplurimi, quibus Parochus abundare debet, ut & se, & alios excitet ad muneris sui partes.

Docêbit eos, qui Ordinis Sacramento initiantur, ut non solùm, quod cum omnibus commûne est, sibi propônant, ut omnibus in rebus Dei gloriæ serviant; sed etiam alicui certo Ecclesiæ ministerio addicti, vitæ innocentiâ, morum castitate, justitiâ, religiône, pietate, sanctitateque ceteris longè præstent, præcipuis illis muneribus, & functionibus obeundis, quas in Ecclesia exequi debent; & verò tales denique se exhibeant, præsertim, qui Sacerdotio initiantur, curamque animarum suscipiunt, quales Beatus Paulus Apostolus esse oportêre scribit, nempe irreprehensibiles, sobrios, prudentes, pudîcos, & reliquis virtutibus excultos, quarum officia & Apostolica doctrina, & sanctorum Patrum disciplîna, & sacrorum Conciliorum decreta, & Canonum leges, & sanctæ Matris Ecclesiæ institûta, ac ritus in illis maximè desiderant, qui Christi Domini Sacerdotio funguntur.

Declarabit etiam Parochus, ut Ecclesiastici ministerii, & præsertim Sacerdotalis functiônis excellentiam fidêles intelligant, præcipua munera, atque officia, quæ Christus Dominus clericâlis ordinis hominibus, ac potissimùm Sacerdotibus commendavit, ut animarum salûti, quam profûso sanguine in ara Crucis operatus est, per illos consulerêtur.

Primùm Christus Dominus hoc mandatum eis dedit, præcipuumque munus commîsit, ut Evangelium prædicarent, regnum Dei annuntiarent, vîmque divînæ legis traderent, omnesque instituerent ad scientiam salûtis.

Deinde Baptismum, & alia Sacramenta, quibus divîna gratia impartîtur, & augêtur, per eos ministrari voluit.

Præterea Sacerdotes sacrificium pro se ipsis, & pro omni populo facere præcêpit. Hæc,

Hæc, & alia munera, atque officia sanctissima, quibus salus populi curatur, Parochus accuratissimè explicabit, ut qui ecclesiastico Ordini adscribi volunt, facilè intelligant se vocari ad magnas, divinasque functiônes. Docêbit verò, non humanâ quidem industriâ ea geri posse, sed divînâ gratiâ, cælestîque virtûte opus esse, quæ per Ordinis Sacramentum, & ex sancta animi præparatiône, spiritualibusque exercitationibus ministris ecclesiasticis confertur.

De denuntiatiône, & inquisitiône Parochi.

DEnuntiatiónem de iis, qui ordinandi sunt, in Ecclesia Parochiâli habendam, itemque inquisitiônem de eorundem natalibus, ætate, moribus, & vita faciendam, fideliter, diligenterque præstet; litterasque testimoniâles accuratè conficiat ad Archiepiscopum dandas ex ejus mandato.

Formula denuntiatiônis vulgâri sermône concepta hæc erit.

SI notifica alle carità vostre, come N. figliuolo di N. della Terra, ovvero Parrocchia di N. è per promoversi all' Ordine del N.; e però se alcuno di voi sapesse, che vi fosse impedimento alcuno, per il quale non possa, o non debba essere promosso a detto Ordine, venga a notificarlo a me; ovvero vada a notificarlo al Reverendiss. Monsignor Arcivescovo, ovvero al suo Vicario generale.

Parochus præterea, ut populus intelligat impedimenta, quibus aliquis irretîtus Ordinis Sacramento initiari non potest, aut non debet, ea quæ sint, quandôque denuntiet, & si opus est etiam explânet; sunt autem hujusmodi.

Minôres ætate cuique Ordini requisîtâ.

Criminôsi.

Hæresis nomine suspecti.

Ebriôsi.

Ebriôsi.
Impudìci.
Usurarii.
Scurræ, mimi, comœdi, histriônes.
Infâmes quocunque modo, & vitiis dediti.
Ratiociniis obligati.
Insigniter deformes, & corpore vitiati.
Illegitimè nati.
Bigami quacunque bigamìæ speciè.
Irregulares, veluti
Qui stipendium belli fecerint, unde cædes hominum extiterit.
Qui sententiam capitis tulerint.
Qui criminis capitâlis acta, sententiam, testificationesque dictârint, aut conscripserint.
Qui causas criminâles egerint.
Suspensi.
Interdicti.
Excommunicati.
Amentes.
Morbo cadûco laborantes.
Energumeni.
Ante tempus, aut per saltum Ordine initiati.
Qui beneficium, aut facultates non habent, unde vivere possint, si sacros Ordines susceptûri sunt.
Qui non sunt confirmati.

Cum autem de ætate, natalibus, moribusque Ordinandi ipse studiôsè omni viâ inquirere debeat; de ætate quidem, & natalibus ad hanc ratiônem perquìret, si modò id munus alii ab Archiepiscopo non mandêtur.

Primò vidêbit, an ejus, qui initiandus est, nomen, cognômen, & diem certum in libro parochiali baptizatorum comperìre possit, è quo libro, si invenerit, exemplum exscrìbat; suâque, duorumque testium ma-

niu, si commodè fieri potest, obsignet, ut constare possit, quo tempore is baptizatus fuit.

Ex libro item Matrimoniorum, si invenitur, exemplum item sumet, cujus testimonio probêtur Matrimonium inter illius parentes legitimè contractum.

Quòd si fortasse ejusmodi libri non extant, eam inibit ratiônem, ut testes fide dignos, nempe vicînos, parentes, aliosve, qui illum norint, ex mandato Archiepiscopi perîtè examinet; ita ut ex eorum testimonio constet ex quibus parentibus, & quo tempore natus sit, anque ex legitimo Matrimonio.

Si verò de illius ætate, & de parentum Matrimonio ipse Parochus aliquid noverit, id in verbo Sacerdotis verè testatum faciat litteris manu suâ scriptis, atque obsignatis; quibus testatum etiam faciat ratiônem, & causam, undè illa sciat.

De vita, & moribus interrogabit præcipuè Ordinandi magistrum, ac præceptôrem, si quem habet, & parochiales item homines morum gravitate probatos, & alios quoque, qui illum benè norint.

Ipse verò semper quàm diligentissimè observabit Clericorum Parochialium vitæ disciplînam, mores, studiorum, & exercitatiônum clericalium institûta, omnemque agendi usum, ut opportûno tempore de iis possit testificari.

Cura Parochi de adscribendis militiæ clericâli.

Onditiônes eorum, qui initiandi sunt, Parochus benè nosse studeat, ut quantum in eo sit, qui ex ejus Parochia sint ordinandi, curet iis non carêre.

Ut instructi in primis sint vitæ spiritâlis studiis, atque exercitationibus.

Norint sanctas illas virtûtes christianas, quarum officiis ipsi arctiùs, quàm laici homines devinciuntur. Atque illæ quidem sunt, devotiônis, pietatisque zelus, castitas,

ſtitas, ſobrietas, pax, charitas, oratio, uſus frequens ſanctiſſimorum Sacramentorum, aliæque multæ vitæ ſpiritâlis exercitatiônes, in quibus perpetuus eſſe debet eccleſiaſticæ vitæ curſus.

Quò diligentiùs item clericâlis diſciplînæ, vitæque religioſæ inſtitûtis ii, qui vel ſpontè ſe clericâli militiæ adſcribi volunt, vel à parentibus adhuc infantes deſtinantur, imbuantur; id crebrò illos Parochus præmoneat, ut Eccleſiam vel Parochialem, vel aliam, quæ ex decretorum Provincialium præſcripto eis aſſignata fuerit, frequentiùs adeant; functiônes, quas Clerici in Eccleſia obeunt, ceteraque id generis miniſteria ſtudiôsè obſervent, ad ratiônem functiônum, quæ in Concilio Provinciali primo, & quarto præſcriptæ ſunt; & ex forma, quam Archiepiſcopus in eo genere propôni juſſerit. Item ut Eccleſiaſticorum hominum pietate præcellentium conſuetudine utantur.

Hac ipſa in re valdè etiam elucêbit Parochi pietas, ſi quàm plurimos poteſt pueros, præſertim pauperes, bonâ indole præditos, qui ſpem afferant ſe ſacris initiatos Eccleſiæ miniſtros utiles fore, ad eccleſiaſticæ vitæ normam accurâtè erudiat.

Doctrinis etiam ut, pro ratiône Ordinis, cui adſcribi volunt, erudîti ſint, curet.

Muſicæ modulatiônis, quem firmum cantum vocant, perîti, ut Ordo poſtulat, in quem volunt cooptari.

Cæremonias, rituſque Ordinis intelligant, quo initiantur.

Curabit etiam, ut cum ante ſtatam Ordinatiônis diem ad Archiepiſcopum conveniunt, decenti veſtîtu clericâli indûti ſint, & congruâ pro ſui Ordinis ratiône, clericâli tonsûrâ in vertice inſignîti. Qui verò tonsûrâ nondum initiati ſunt, veſtîtum clericâlem tantummodo induant ex facultate conceſſa.

Docēbit, ut teſtimonia Conciliis Provincialibus, & in primis Concilio quarto præſcripta afferant.



DE

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Rubricæ, seu Instructiones.

Quæ Parochus doceat.



T Matrimonium inter fidêles sanctè contrahatur, eò diligentiùs Parocho curandum est, quò graviùs aliquando à plerisque peccari solet.

Habêbit igitur ipse in primis rectè cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rectè conficiendis servari oportêre œcumenica Synodus Tridentina jussit, ut illa ipsa omnia accuratissimè, inviolatèque servanda curet.

Dabit etiam operam, ut illîus Tridentinæ sanctiônis jussa, præceptaque parochiales sui teneant.

Proindeque sæpenumero, præsertim verò certis statis Dominicis diêbus, illam sanctiônem rectè denuntiabit, atque adeò explicabit ad præscriptum diœcesanæ constitutiônis.

Sacramenti autem hujus institutiônem, vim, natûram, & sanctitatem Parochus, aliusve Sacerdos, cui facultas celebrandi Matrimonii data, aut permissa est, sæpenumero, & ut maximè potest accurâtè, fidelibus ex Catechismi Romani doctrîna explicabit; ut omnes non solùm perspicuè intelligant, sed religiosè observent, cujus

rei causâ Matrimonium institûtum sit, & quam animi præparatiônem, pietatemque in eo contrahendo requîrat.

In hoc porrò tractatiônis genere Parocho quò sæpiùs versandum est, eò studiosiùs ratiônes colligendæ sunt ex sacris litteris, aliisque ecclesiasticis monimentis deprompta, atque ex sanctæ disciplînæ Christianæ fontibus haustæ; quibus potissimùm hæc tria doceat; primùm, quo modo Matrimonium sanctè contrahendum est; deinde quo modo in eo castè, pièque versandum; tum quo præterea modo in eo bene moriendum.

Docêbit igitur, quo animi affectu, & quam ob causam fidêles Matrimonium ineant. Quo in genere demonstrabit, ad illud eos non explendæ libidinis causâ duci oportêre, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: neque præcipuè efferri cupiditate divitiarum; sed cum prolis suscipiendæ gratiâ, quæ sanctam catholicam religionem colens ad cælestium præmiorum hæreditatem christianæ vitæ præceptis, pièque agendi usu instituatur; tum etiam causâ vitandæ fornicatiônis: & ut conjuges alter alterius ope adjûti vitæ incommoda faciliùs ferre, & senectûtis imbecillitatem sustentare queant. Nec verò universè solùm, sed singillâtim, speciatimque, prout usu venerit, id officium omni charitate præstare studêbit: ut cum de aliquorum Matrimonio agitur, eos moneat, quàm singularem mentis integritatem, & pietatem adhibeant; cum ad rem non humanam, sed divînam, hoc est Matrimonii Sacramentum aggrediantur: addet verò etiam Tobîæ exemplum ex sacris litteris maximè ad hanc rem accommodatum.

Simul verò ut fidêles quoque intelligant, quibus sacris temporibus à nuptiis abstinendum sit, ac præterea in frequentiori oratiônis studio, quod diêrum celebritas, & mysterium postulat, vigilantiùs incumbendum, ipsarum

rum nuptiarum interdictiônem eodem Sacro Concilio confirmatam diligenter quoque enuntiabit, ita scilicet, ut eam demonstret inchoare à prima Dominica Adventus usque in diem Epiphaniæ; & à Dominica in capite Quadragesimæ usque in Octavam Paschatis inclusivè.

Neque id cohortari prætermittet (quamquam non est necessarium) ut ex imitatiône antiquæ fidelium pietatis in statis Ecclesiæ jejuniis, præsertim solemnium quatuor Temporum, à nuptiarum celebritate fidèles abstineant. Si enim conjuges, cum oratiôni, & jejuniis vacandum est, Apostolus monet à Matrimonii usu abstinêre: profectò æquissimum esset, & cum sancta disciplina consentiens, eos illo vel brevissimo tempore ab novo conjugio ineundo se continere.

Et quoniam Matrimonii libertas violari nullo modo debet, anathema, quod Synodus œcumenica Tridentina iis constituit, qui vi, metu, aliôque modo libertatem impediunt, ubi opus erit, evulgabit: ut perspicuè omnes intelligant, quàm graviter peccent, qui hoc admittunt.

Hæc etiam, ut infra, accuràtè cavêbit.

Non passim omnibus Matrimonii contrahendi aditum patefaciet, quos ipse præsertim non norit.

Vagantium hominum, & peregrinorum Matrimonium non facilè celebrabit, sed diligenti primùm ex Concilii Tridentini præscripto inquisitiône factâ, & testimoniorum, quibus legitimè de illis testatum fiet, cautiône studiôsè adhibitâ, reque omni ad Archiepiscopum delâtâ, ac facultate celebrandi Matrimonii ab eôdem impetratâ. Quam cautiônem eò diligentiôrem tunc adhibêbit, cum parochia sua eo loci est, quò diversarum natiônum, præsertim hæreticorum, aliorumve, cum quibus contrahi nefas est, concursus fit; aut propiùs abest à regionibus ipsorum hæreticorum.

Si verò agatur de contrahendo Matrimonio cum per-

sôna, quæ in locis hæreticorum habitet, vel ubi hæreticorum more vivere licet, ne ad secundam denuntiatiônem Parochus veniat, neque alio modo in ea re progrediatur, nisi priùs nomen, & cognômen persônæ, quæ in ipsis locis habitat, Archiepiscopo denuntiârit, & ab eo facultatem progrediendi impetrârit ex Concil. Provinc. secundo.

Neque præterea facilè Matrimonio eos conjunget, quos conjunctos, cum fuerint aliquandiù absentes, objisse rumor est, nisi certam, exploratamque obitus notitiam habuerit, & ut const. Clem. III. cautum est, certus nuntius de morte allâtus sit.

De Parochi diligentia in denuntiationibus, aliisque.

Anteaquam Matrimonium celebret, tres denuntiatiônes ad Concilii Generalis, & Lateranensis, & Tridentini præscriptum, tribus continuis festis diêbus, qui præcepto Ecclesiæ coluntur, & iis etiam, qui universali hujus Civitatis cônsuetudine servari solent, publicè in Ecclesia etiam utriusque, si diversæ Parochiæ contrahentes sunt, inter Missarum solemnia faciet: nisi aliquando Archiepiscopus ejusdem Concilii Tridentini decreto aliter jusserit.

Denuntiatiônem ullam ne remittat, nisi ex facultate ipsius Archiepiscopi.

Antea verò quàm Matrimonium denuntiet, cognoscet quales sint, de quorum contractu agitur: an ætate legitimâ, quâ conditiône, an aliquo propinquitatis gradu inter se conjuncti, quo contrahere non possint.

Quamobrem cum accurâtè, studiosèque norit canonica impedimenta, & quæ futûrum Matrimonium impediant, & quæ contractum dirimant; tum etiam illa aliquando, prout usu venerit, diligenter expônet, cum multa ea sint, quæ tamen brevi enumerantur his versibus.

Error

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligâmen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coîre nequîbis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.
Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt facta tenêri.

Atque in his quidem ratiônem habêbit impedimenti ex fornicatiône contracti, de quo in sacro Concilio Tridentino cavêtur.

Gradus item consanguinitatis, & affinitatis benè notos habêbit: & quo gradu contrahi liceat, id etiam rectè sciet, atque adeò interdum, prout occasio tulerit, accuratè expônet ex Concilio Tridentino, & probatis doctrînis.

Matrimonium præterea gradu prohibito contrahi ita non licêre ostendet decreti Tridentini auctoritate, ut scienter contractum etiam separari, & spe dispensatiônis consequendæ carêre debeat; quin etiam pœnam excommunicatiônis latæ sententiæ eos subîre, qui scienter ita contraxerint ex Clem. Constit.

Spiritualis quoque cognatiônis impedimentum & nosse, & enuntiare aliquando debet, ut declaravit sacra Tridentina Synodus, quæ in Baptismo, Baptizantem, & suscipientes cum baptizato, ejusque patre, & matre; in Confirmatiône verò, patrînum item, & confirmantem cum confirmato, & parentibus itidem illîus hanc cognatiônem spiritualem contrahere definîvit; omnibus inter alios hujusce cognatiônis impedimentis omninò abrogatis.

Antequam denuntiet, primùm à mari, tum à fœmina Parochus exquîrat, an Matrimonii, quod inter eos tractatur, denuntiatiônes fieri placeat, & an spontè, & liberè

ad

ad eam rem veniant; & omnino antequam denuntiatiônes inchoet, habeat consensum eorum, qui contractûri sunt; quòd si in diversis parochiis illi habitant, utriusque item Parochus hoc ipsum servet. Neque Matrimonium alter Parochus denuntiet, nisi ab altero Parocho certior factus sit de postulatu, aut consensu illius, qui ejus est curæ subjectus.

Qua in re caveat, ne dum Matrimonii denuntiandi tantummodo voluntatem eorum notam, exploratamque investigando habêre vult, eâ investigatiône Matrimonii, aut sponsalium consensum exquîrat.

Itaque de statis solùm denuntiationibus explicatè, ac distinctè, separatimque ab utrôque perquîrat, idque à fœmina loco honesto, & in propinquorum conspectu, ita tamen, ut ne quisquam audiat; neque ita prope sit, ut illa præ pudôre, vel aliâ causâ minùs liberè animi sui voluntatem exprimere audeat.

Si verò filii familias sunt, convenit etiam, ut sciscitêtur, de parentumne voluntate, an contra, initûri sint Matrimonium. Nam quamvis eorum consensus necessariò non requiratur; si tamen contra faciunt, causam perquîret: quâ cognitâ, illos cohortari paternè non desistet, ut parentibus, in quorum potestate sunt, eum honôrem tribuant, ut scilicet illis ne insciis quidem, nedum invîtis, rem tanti momenti aggrediantur: nisi fortè parentes futûrum Matrimonium malitiôsè impediant.

Monêbit præterea eosdem separatim, ut videant, ne Matrimonio, quod inter se contrahere volunt, aliquod impedimentum sit.

Eos item gravi cohortatiône diligenter moneat, ut ante denuntiatiônes orationibus se muniant, remque totam precibus piorum, sanctisque sacrificiis commendent: tum ad Matrimonium deinde ineundum jejuniis, orationibusque se parent; sicque contra spirituales nequitias,

quitias, & carnis procacitatem sanctè muniti salûtem, & gratiam Dei ex eo Sacramento uberiôrem sibi comparare studeant.

Denuntiatiônes ipsas, pronuntiato Evangelio, aut conciône absolûtâ, Parochus ad populum conversus faciet in hanc sententiam.

Formola di denunziare il Matrimonio.

SI notifica alle carità vostre, come N. figliuolo di N. della nostra Parrocchia, è con l'ajuto, e grazia di Dio per far Matrimonio con N. figliuola di N. della Parrocchia medesima nostra. Però se alcuno di voi sapesse, che tra di loro fosse impedimento alcuno di parentela, ovvero di cognazione spirituale, che nasce dal Battesimo, o dalla Cresima, o altra proibizione, ovvero impedimento, per il quale non potessero insieme far Matrinio, venga, come è tenuto in coscienza, a notificarlo a me Curato quanto prima: avvertendo, che siccome ciascuno è tenuto notificare l'impedimento, che sa; così dee guardarsi di notificarne alcuno falsamente, che oltre al grave peccato, che commetterebbe, ci è ancora la pena della scomunica; e questa è la prima nostra monizione. Ita dicet Parochus, si fuerit prima denuntiatio; si fuerit secunda, ita dicet: E questa è la seconda nostra monizione; si fuerit tertia denuntiatio, sic dicet: Questa è l'ultima, e perentoria monizione.

In denuntiatione hoc animadvertet Parochus, ut & nomen, & cognômen, & patrem, & parochiam contrahere volentium nominet; si pater decessit, dicat, filius, vel filia quondam D. N.

Si interea dum denuntiatiônes fiunt, aliquod impedimentum certum patefiet, constiteritve, abstinêbit Matrimonii contractiône. Sin autem aliqua existet dubitatio, ambiguitasve, aut probabilis suspicio impedimenti alicujus, de re tota Archiepiscopum certiôrem faciet,

nihilque

nihilque præterea aget, nisi de illius mandato. Si verò nullum patefiet, denuntiabiturque impedimentum, sed adhuc aliqua suspicio subesse potest; ipse Parochus per se diligentiùs inquîret, an aliquod hujusmodi impedimentum Matrimonio obstet: & quò cautiùs id agat, cum viro, & muliere, de quorum Matrimonio agitur, aut cum eorum parentibus seorsum colloquêtur; graviterque monêbit, ut liberè dicant, si cujus rei conscii sunt, quæ Matrimonio contrahendo legitimum impedimentum afferre possit.

Si probabilis dubitatio impedimenti sit, sive ex verbis eorum, qui contractûri sunt, sive aliunde; supersedeat, & consulat Archiepiscopum, aut ejus Vicarium.

Multò magìs, si fama impedimenti oriêtur, aut testis aliquis etiam unicus de impedimento affirmaret.

Si verò nullum impedimentum appareat, tunc Matrimonium denuntiare, & celebrare pergat: caveatque, ne sinè causa procrastinet.

Si quem item malitiôsè falsum aliquod impedimentum attulisse animadverterit, quo Matrimonium impedîret; non propterea, re tamen benè cognitâ, desistet à denuntiationibus, & celebratiône Matrimonii.

Matrimonii denuntiationibus factis, si fortè accidit, ut illud duorum mensium spatio non contrahatur, ne illud celebret, nisi ritè repetitis denuntiationibus; si tamen Archiepiscopus aliud non concesserit.

Quo die denuntiatio ultima facta est, ne ipso die, nisi impetratâ ab Archiepiscopo facultate, Matrimonium celebret: nisi ea denuntiatio facta sit pridie illius diei, quo est initium Quadragesimæ, vel Adventus. Hortêtur verò, ut in alterum, aut tertium, aliumve diem, differant: utque interea orationi frequentiùs vacent: Missamque de Spiritu Sancto cum oratiône de Beata Virgine, aut aliâ, ut est in Missa pro faciendo Matrimonio, pro se celebrari devotè curent. Mo-

Monêbit conjuges vehementer, ut ne ante Matrimonii celebratiônem copulâ utantur, neque simul habitent, aut aliquod commercium habeant: simul denuntians gravissimis decretis secundi, & sexti Concilii illîus peccati absolutiônem Archiepiscopo esse reservatam, eîque gravem pœnitentiam esse decretam.

Monêbit item, hortabiturve, ut eadem caveant, antequam benedictiônem in Ecclesia susceperint.

Aget omni cohortatiône cum sponsis, ut ad Matrimonii celebratiônem ne accêdant priùs, quàm peccata diligenter confessi sacram Communionem sumpserint, saltemque triduo ante Matrimonii consummatiônem; omnino autem & jejunio, & aliis piis præparationibus ad hujusmodi Sacramentum purâ mente accêdant.

Ut item die Matrimonii celebratiônis, & benedictiônis ad Ecclesiam accêdant omni vestium moderatiône, dignâque sanctitate christianæ Religiônis; ita ut quantò generis claritate illustriôres sunt, tantò studiosiùs in luce omnium splendescant virtûte præcellenti; quæ christianæ nobilitatis propria in abiiciendo sæculi luxu, fugiendisque barbarici vestîtus sumptibus maximè elûcet.

Ut rem omnem depravato usu introductam, profanamve in sancta Matrimonii sui celebritate caveant; ut olim fuit bibendi, cyathîve frangendi corruptêla.

Ne Matrimonio quempiam jungat, qui illud contrahere attentárit sinè Archiepiscopi concessu; nisi delictum ita occultè sit admissum, ut nullum ejus rei extet legitimum indicium.

Ne solemnes nuptias sinat celebrari, nisi post diluculum postridie illîus diêi, qui postrêmus est temporis, quo nuptiarum celebritas jure sacrorum canonum, & ritu hujus Ecclesiæ interdicta est.

Ne eôdem tempore permittat sponsam domum tradûci, aut nuptialia convivia celebrari, monens pœnam interdicti

dicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurri ab iis, qui contrafecerint.

Omni autem tempore curet ea celebrari, quemadmodum modestiæ christianæ convenit.

Moneat quandôque fidêles sibi commissos de gravissimo eorum scelere vitando, qui ad res matrimoniales impediendas veneficiis, fascinationibusve utuntur; doceatque eos pœnâ excommunicatiônis latæ sententiæ esse irretitos; & eos item, qui in solvendis iis veneficiis verba improbata, & superstitiôsa adhibent, ex Concil. Quinto.

Qui ad Ecclesiam sponsos deductûri sunt, qui paranymphi dicti sunt, ii sint ætate provectâ, & morum gravitate præditi, & plerumque eorum propinqui, & parentes.

Velâtam sponsam dedûci monêbit, cum ob decentiam, Apostolique præceptum, tum ob significatiônem subjectiônis erga virum, Rebeccæ etiam exemplo, quæ ut sponsum conspexit, pallio caput velâvit.

Manè celebrâbit, non à prandio; nec verò unquam noctu.

In Ecclesia item Parochiali ante Altare majus; neque alio præterea loco, aut aliâ Ecclesiâ.

Si domi aliquando fieri ab Archiepiscopo concedêtur, id fiet loco ejus decentiôri, ubi sit item sacra imâgo, aliis profânis rejectis.

Meminerit, præter ipsius Parochi præsentiam, duorum etiam, vel trium testium præsentiam necessariam esse, ex Trident. decreto.

Ne Matrimonio jungat, qui doctrinæ christianæ rudimenta ignôrant.

Et quia quandôque necessitas expostulat, ut Matrimonium celebrêtur, postpositis denuntiationibus de licentia Archiepiscopi; ita tamen, quòd celebrato Matrimonio, eæ statim fiant primis diêbus festis, ponitur hoc loco formula denuntiandi hujusmodi Matrimonium.

Formola

Formola di denunziare il Matrimonio celebrato, pospoſte le pubblicazioni.

SI notifica alle carità voſtre, come N. figliuolo di N. della noſtra Parrocchia ha con l'ajuto, e grazia di Dio contratto Matrimonio con N. figliuola di N. della noſtra Parrocchia medeſima, avendo prima ottenuta licenza di celebrare il Matrimonio, poſpoſte tutte tre le pubblicazioni. Ita dicet Parochus, ſi celebratum fuerit Matrimonium, poſtpoſitis tribus denuntiationibus. Si verò duàbus tantùm, dicet. Poſpoſte due. Si tandem una ſolùm, dicet. Poſpoſta una pubblicazione. Però ſe alcuno di voi ſapeſſe, che tra di loro foſſe qualche impedimento di parentela, ovvero di cognazione ſpirituale, che naſce dal Batteſimo, o dalla Creſima, o altra proibizione, ovvero impedimento, che annullaſſe il detto Matrimonio già celebrato, venga, come è tenuto in coſcienza, a notificarlo a me Curato quanto prima: avvertendo &c. ut in formula alia paulò ſuperiùs poſita.

Qua in re ſervabit Parochus cetera, quæ ibi præſcripta ſunt.

Quomodo in Matrimonio ſit verſandum, & moriendum.

QUod ad illam partem pertinet, quomodo in Matrimonio ſit verſandum, docêbit opportûno tempore Parochus officia viri erga uxôrem, rurſuſque uxôris officia erga virum.

Monêbit, ut incommoda Matrimonii patienter ferant, contenti eà, in qua vocati ſunt, vocatiône.

Quàm diligenter etiam fidem, quam ſibi mutuam præſtiterint, inviolatam ſervent uſque ad mortem.

Quàm ſeipſos inter ſe unicè diligant ſanĉto cordis affeĉtu, ita ut nefariis aliorum amoribus non capiantur, nec torum maritâlem inquinent. Purum Matrimonium ſit,

sit, & ab obscenarum cupiditatum contagiône liberum, inquit S. Gregorius Nazianzênus. Cum enim Matrimonium à Deo institûtum sit præcipuè ad sobolem procreandam, quæ sanctè educêtur; sanctè illo uti debent. Unusquisque sciat, ut Apostolus monet, vas suum possidêre in sanctificatiône, & honôre, non in passiône desiderii, sicut & gentes, quæ ignôrant Deum; non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificatiônem.

Ut illud meminerint Apostoli, quòd mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Ut in magnis anni solemnitatibus, diebusque Dominicis, ex Nicolài primi rescripto, diêbus jejuniorum, & certo tempore oratiôni assignato, & quibus diêbus Eucharistiam sumptûri sunt, sumpserintve, à copulatiône, actûque Matrimonii, quantum possunt, de commûni consensu abstineant.

Ut cum uxor gravida est, frequentiùs ambo in oratiône, precibusque versentur, quibus à Deo prolem optimam impetrent.

Ut ubi liberos susceperint, nihil potiùs curent, quàm ut in timôre Dei, & disciplìnæ christianæ institûtis educent, & conforment ad præscriptum instructiônum eo nomine editarum.

Ut rem familiarem modis nefariis nullo modo augeant; neque studeant locupletiôres fieri cum offensiône Dei, & injuria proximi.

Ut patrumfamilias institûta exequantur libro instructiônum explicata.

Sed uberiôrem etiam cohortandi materiam Parochus sumet ex sanctis precationibus, quibus in nuptiarum benedictiône mater Ecclesia utitur.

De alia verò parte, quâ scilicet ratiône in Matrimonio moriendum sit, hæc doceat.

Primùm

Primùm, ut in ægrotatióne, ficut in omni alia re necessaria, fibi mutuam opem ferant, atque fuccurrant omnibus officiis, quæ cum ad corporis curatiônem, tum in primis ad animæ falûtem pertinent.

Ut propterea in ægrotatiône nullum alter alteri præftet impedimentum, quominus continuam habeat Dei memoriam; immo verò potiùs fefe mutuò confolentur falutaribus confiliis; hocque cohortentur, aliofque item hortatôres adhibeant, ut fanctiffima Sacramenta, Pœnitentiam fcilicet, & Euchariftiam, & Extrêmam Unctiônem in tempore fufcipere ægrôtus curet.

Ut liberos etiam fuos piè, ardentifque charitatis ftudio admoneat, inftruatque ad vitæ chriftianæ rationes. Et verò vitia, quibus potiffimùm illos deditos effe animadvertit, vehementer objurget. Demum benedicat, exemplo fanctiffimorum Patrum.

Ut domui fuæ benè difpônat, & teftamentum rectè conficiat, præfente etiam Patre fpirituali, de cujus confilio in teftamenti factiône remedia quærat animæ fuæ.

Ut in extrêmo etiam illo fpiritu fefe alacriter in Domino confirmet ad mortem fufcipiendam, expectans poft feparatiônem hujus vitæ mortalis, conjunctiônem perpetuam in vita fempiterna.

Sed uberiôrem præterea cohortandi materiam Parochus, Sacerdofve fumet, prout fponforum conditio pofcere videbitur.

De benedictione nuptiarum.

Docêbit Parochus opportûnè, quanti benedictio nuptiarum facienda fit, quæ, ut S. Auguftinus ait, in Paradifo initium habuit, quamque SS. Patres maximè commendârunt.

Item de pœna fufpenfiônis ipfo facto illi ex Concil. Trid. incurrenda, qui fponfos benedicit finè proprii Parochi, vel Ordinarii licentia, ficuti qui Matrimonio conjungit.

Benedicet autem semper, Missâ celebratâ, cui sponsi ipsi intersint.

Caveat autem, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictiônem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat: si verò ea consuetûdo usquam est, ut, si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxôrem habuerit, nuptiæ benedicantur, eâ utendum est. Sed viduæ nùptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxôrem duxerit.

Contracto Matrimonio, Parochus eôdem die, quo illud contraxerit, celebraveritve, si manè poterit, sponsum, sponsamque benedicet; aliôquin alio festo die, & triduo, unôve saltem die ante consummatiônem Matrimonii id fieri curabit.

Nuptiarum benedictiônem, si tempus datur, die festo præcedenti denuntiabit; idque populum graviter monêbit, ut sponsis à Deo gratiam cælestium benedictiônum precêtur, quibus persûsi Matrimonium sanctè tractent, salutaresque inde fructus capiant.



ORDO

ORDO
CELEBRANDI
MATRIMONIUM.



Arochus Matrimonium celebratûrus superpelliceo, stolâque pro tempore indûtus, in limine Ecclesiæ, aut ante Altare sponsos aquâ benedictâ primùm asperget, uno, aut duôbus Clericis adhibitis superpelliceo item indûtis, quorum unus librum, alter vas aquæ benedictæ cum aspersorio habêbit.

Deinde, ubi ante Altare sponsam, ejusque parentes, propinquosve ad sinistram; sponsum verò cum ejus parentibus, propinquisque item ad dexteram collocaverit; ipse Parochus sermônem habêbit de vi, sanctitate, & cæremoniis hujus Sacramenti, aut etiam de tribus illis capitibus, quæ principio proposita sunt; quo scilicet modo Matrimonium contrahendum, quo modo in eo versandum, & moriendum.

Absolûto sermône, præsentibus propinquis, & aliis pluribus, hoc ipsos sponsos admonet, ut eorum uterque singillâtim, nominatimque interrogatus, ore, atque explicatè interrogatiône respondeat, animôque consentiat; si verò quis eorum mutus est, aperto nutu, certôque signo consentiat. Sicque primò sponsum, deinde sponsam, nomine, titulôve pro ratiône, conditioneque persônæ interrogat his verbis, vulgariter tamen prolâtis.

N. vis accipere, & jam nunc accipis N. hìc præsentem in tuam legitimam uxôrem, sicut præcipit san-

cta Mater Ecclesia? Ubi sponsus explicatè responderit, Volo, & accipio, aut, Ita Domine, tunc sponsam interrogabit.

N. vis accipere, & accipis N. hìc præsentem in tuum legitimum marîtum, sicut præcipit sancta Mater Ecclesia? ℟ Volo, & accipio, aut, Ita Domine.

Quibus consentientibus, Parochus dicit hæc verba Evangelii.

Quod Deus conjunxit, homo non separet.

Interea sponsi genua flectunt, & Parochus dexterâ suâ sponsi dexteram prehendit, & ad significatiônem vinculi, fideîque conjugâlis, impônit manui dexteræ sponsæ: summitatesque stolæ in modum crucis impônit ambâbus sponsorum manibus, & apertè dicit:

Ego auctoritate sanctæ Matris Ecclesiæ, quâ fungor, conjungo vos in Matrimonium: Ter signum crucis super utrumque faciendo: In nomine Patris, ✠ & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti. ℟ Amen.

Deinde aquâ benedictâ eos aspergit, dicens:

Per aquæ benedictæ aspersiônem, det vobis omnipotens Deus suam gratiam, & benedictiônem.

De benedictiône anuli.

Quibus peractis, Parochus benedicit anulum à sponso datum Acolytho, qui illum in pelvicula rectè collocatum benedicendum offert.

Parochus dicit:

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festîna.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Hallel. ✠ yr. ✠ yr. ✠ yr.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Ora-

Oratio.

BEnedic✠ quæſumus Domine anulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus; ut quæ eum portaverit, in tua pace conſiſtat, & in tua voluntate permaneat, & in amôre tuo vivat, & ſeneſcat, & multiplicêtur in longitudinem diêrum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde aſpergit anulum aquâ benedictâ; poſtea illum ſumit, & tradit ſponſo, qui digito quarto anulâri ſiniſtræ manus ſponſæ eum impônit, dicente Parocho, ac ſemel ſignum crucis faciente.

In nomine Patris, & Filii, ✠ & Spiritus Sancti. Amen.

Fit autem hoc ad ſignificandum, quòd eo pignore ſponſorum corda junguntur; nam & in eo digito vena quædam eſſe dicitur, quæ ad cor uſque pervenit. Mox dicit.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟. A templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.

℣. Domine exaudi oratiônem noſtram.

℟. Et clamor noſter ad te perveniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

REſpice quæſumus Domine hanc conjunctiônem, & bene ✠ dicere dignêris hunc famulum tuum, & hanc famulam tuam, quatenus inviolatam ſibi invicem fidem perpetuò ſervantes tibi valeant adhærêre. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Matrimonio ritè celebrato, Parochus paternè sponsos monébit, Christianos decêre in ea celebratiône à saltationibus, choreisque abstinêre, ut canone cautum est.

Notabit verò ipse quamprimùm in libro parochiali Matrimoniorum proprio nomina conjugum, & testium, diem præterea, annum, & locum contracti Matrimonii ex formula præscripta; quem librum apud se accurâtè custodiat.



ORDO

ORDO BENEDICENDI SPONSUM, ET SPONSAM.



Ponsus, & sponsa ante consummatiônem Matrimonii peccata confessi veniunt statûto die in Ecclesiam parochialem sponsæ, ubi loco decenti Missam genibus flexis audiunt; Parochus autem, Sacerdosve pro sponsis Missam celebrat, ut in Missali, nisi celebranda erit de Dominica, aut de Sancto, tuncque fit commemoratio pro sponsis.

In Missa datur pax sponso primùm, deinde sponsæ: præbêtur etiam sacra Communio sponsis.

Celebratâ Missâ, & depositâ planetâ, & manipulo, Parochus, ante Altare sponsis genuflexis, dicit.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festîna.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Hallel. Kyr. Kyr. Kyr.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, qui potestate virtûtis tuæ de nihilo cuncta fecisti, & dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem tuam facto ideò inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut fœmineo corpori dares de virîli carne principium, docens, quod ex uno placuisset institui, nunquam licêre disjungi. Deus, qui tam excellenti mysterio conjugâlem co-

pulam consecrasti, ut Christi, & Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum. Deus, per quem mulier jungitur viro, & societas principaliter ordinata eâ benedictiône donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam: Respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritâli jungenda consortio tuâ se expetit protectiône munîri. Sit in ea jugum dilectiônis, & pacis: fidêlis, & casta nubat in Christo: imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis, ut Rachel viro; sapiens, ut Rebecca; longæva, & fidêlis, ut Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricatiônis usurpet: nexa fidei, charitatisque vinculo permaneat uni toro juncta: concubitus illicitos fugiat: muniat infirmitatem suam robore disciplînæ. Sit verecundiâ gravis, pudôre venerabilis, doctrînis cælestibus erudîta: sit fœcunda in sobole, sit probata, & innocens, & videat filios filiorum suorum usque in tertiam, & quartam generatiônem, & ad optatam perveniat senectûtem; & demum ad beatorum requiem, & ad regna perducatur cælestia. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde Parochus cum Clerico dicit.

Psalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labôres fructuum tuorum manducabis: beatus es, & benè tibi erit.

Uxor tua, sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.

Filii tui, sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.

Ecce

Ecce sic benedicêtur omnis homo: qui timet Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: & videas quæ bona sunt Jerusalem omnibus diêbus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: pax super Israel.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Kyrie el. Kyr. el. Kyr. el.

Pater noster. Secretò usque ad

℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuêre eos.

℣. Domine exaudi orationem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob sit vobiscum, & ipse adimpleat benedictiônem suam in vobis, ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad tertiam, & quartam generatiônem: Et postea vitam æternam habeatis sinè fine, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Tum

Tum aspergendo sponsos aquâ benedictâ dicat.

℣. Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Peractâ benedictiône, sponsos hoc monêbit, ut nocte saltem sequenti in castitate, & virginitate permaneant, propter reverentiam ipsius benedictiônis. Caveant verò omnino, ut supra dictum est, saltatiônes, & tripudia, aliaque omnia Matrimonii sanctitati repugnantia.

Si thalamo nuptiali benedicendum est, Parochus benedicet ex præscripta formula, quæ infra exposita est loco suo.



BENE-

BENEDICTIONES VARIÆ

RUBRICÆ GENERALES.



N omni benedictiône Sacerdos superpelliceo, & stolâ præterea pro ratiône temporis utêtur, nisi aliter notabitur. At in benedictiône Imaginum utendum est colôre, qui correspondeat Ordini hierarchico illius Sancti, cujus Imágo benedicitur.

Stando semper benedicet, non sedendo, aut genuflectendo, & capite aperto.

In principio cujuscunque benedictiônis dicet, quæ sequuntur; & dum dicit Deus in adjutorium, signum crucis sibi adhibeat.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Hallelujah. In Quadragesima, omisso Hallelujah, dicatur Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ. Kyr. el. Kyr. el. Kyr. el.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Postea oratio, vel oratiônes propriæ.


In fine benedictiônis semper dicat: ℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Kyr. eleis. Kyr. eleis. Kyr. eleis.
℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.
℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Postea

Postea aspergat aquâ benedictâ ter res, primò in medio, secundò à parte dextra, tertiò à parte sinistra, nihil dicendo, nisi in propriis locis aliter notetur.

Cum Sacerdos aliquid benedictûrus est habeat duos Clericos, quorum unus vas aquæ benedictæ cum aspergillo, alter verò librum hunc ritualem teneat; aut unum saltem, qui ei actiôni inserviat.

Benedicet in Ecclesia ad Altare stans in cornu epistolæ, aut etiam in Sacristia ad mensam decentem, pro ratiône eorum, quæ benedicuntur. Sed caveat, ne benedictiônis gratiâ ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta: sed quod ejusmodi est ponatur super aliquod scamnum paratum loco commodo.



ORDO

ORDO OFFICII
AD FACIENDUM
AQUAM BENEDICTAM.

In primis dicat Sacerdos ℣. Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, & Filio &c. Sicut erat in principio &c. Hall. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Postea exsufflet in sal in formam crucis, dicens hunc exorcismum.



Xorcizo te, creatûra salis, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliseum Prophêtam in aquam mitti jussit, ut sanarêtur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salûtem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas animæ, & corporis: & effugiat, atque discêdat ab eo loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui ventûrus est in Spiritu Sancto judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creatûram salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare tuâ pietate dignêris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis, & corporis: & quidquid eo tactum, vel aspersum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatiône spiritâlis nequitiæ, per virtûtem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit, & regnat in unitate

te

te Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Postea exsufflet in aquam in formam crucis, dicens exorcismum sequentem.

EXorcizo te, creatûra aquæ, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine Jesu Christi ✠ Filii ejus Domini nostri, & in nomine Spiritus ✠ Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimìci, & ipsum inimìcum eradicandum, & explantandum cum Angelis suis apostaticis, per virtûtem Domini nostri Jesu Christi, qui ventûrus est in Spiritu Sancto judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.
℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, qui ad salûtem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto invocationibus nostris; & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtûtem tuæ benedictiônis ✠ infunde; ut creatûra mysterii tui tibi serviens, ad abiiciendos dæmones, morbosque pellendos divînæ gratiæ sumat effectum, ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditiâ, liberêtur à noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discêdant ab eo loco omnes insidiæ latentis inimìci: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium invideat, aut quiêti, per aspersiônem hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocatiônem tui nominis expetîta ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum &c.

Hìc mittitur sal in aquam in formam crucis, dicendo sic.

Fiat commistio salis, & aquæ. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen. Benedico te sal, & aqua. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti

Sancti. ℟. Amen. Confirmo te sal, & aqua pariter: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Psall. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. ℣. Gloria Patri, & Filio, &c. ℟. Sicut erat &c.

Iterum: Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Kyr.el. Kyr.el. Kyr.el.

Sequitur: Pater noster &c. Secr. usque ad

℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum, & terram.

Sequitur: Credo in Deum Patrem &c. Secr. usque ad

℣. Carnis resurrectiônem.

℟. Vitam æternam. Amen.

℣. Ego dixi, Domine miserêre mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum.

℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Dominus virtûtum nobiscum.

℟. Susceptor noster Deus Jacob.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Exurge Christe, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus invictæ virtûtis Auctor, & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphâtor, qui adversæ dominatiônis vires reprimis, qui inimîci rugientis sævitiam

vitiam ſuperas, qui hoſtiles nequitias potenter expugnas: te, Domine, trementes, & ſupplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creatûram ſalis, & aquæ dignanter accipias, benignus illuſtres, & pietatis tuæ more ſancti ✠ fices: Ut ubicunque fuerit aſperſa, per invocatiônem ſancti tui nominis omnis infeſtatio immundi ſpiritus abiiciatur, terrorque venenôſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia Sancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignêtur. Per Dominum noſtrum &c. in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus &c.

Alia Oratio.

PRæſta Domine tuum ſalutare remedium ſuper hanc creatûram ſalis, & aquæ: ut ubicunque fuerit aſperſa, ad animæ, & corporis proficiat ſanitatem. Per Dominum noſtrum &c.

Alia Oratio.

PRæſta Domine, quæſumus, ſuper hanc creatûram aſperſiônis aquæ ſanitatem mentis, corporis integritatem, tutêlam ſalûtis, ſecuritatem ſpei, corroboratiônem fidei, hìc, & in æternum, & in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. Kyr. el. Kyr. el. Kyr. el.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Chriſti.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Pax, & benedictio Dei Patris ✠ omnipotentis, & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper hanc creatûram ſalis, & aquæ, & ſuper omnes ex ea accipientes. Amen.

Deinde fit aſperſio aquæ.

BENE-

BENEDICTIO CLERICALIS INDUMENTI.

Deus in adjutorium &c. Gloria Patri, &c. Hallelujah.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, adesto propitius invocationibus nostris, & super his indumentis copiôsam benedictiônis tuæ infunde virtûtem, ut desuper irrigante gratiâ tuâ, per nostræ humilitatis servitûtem puri ✠ ficare, & bene ✠ dicere dignêris, ut his vestibus indûtus famulus tuus N. ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum munîtus, & defensus esse mereatur, tuisque mysteriis aptè, & condignè servîre, & inhærêre, atque in his tibi placidè, & devotè perseverare concêde. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aquâ benedictâ leviter vestis aspergitur, thurificatio adhibêtur, atque his verbis denique traditur. **Accipe, fili carissime, hoc sacrum indumentum, quo cognoscaris mundum contempsisse, & te Christo perpetuò subdidisse, faciatque te Deus cum bonorum operum fructu ministerii congruentis beatâ immortalitate vestîri. ℟. Amen.**

Dum exuitur, dicitur. **Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis. ℟. Amen.**

Deinde dum induitur. **Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. ℟. Amen.**

Denique indûtus procumbit in genua coram Archiepiscopo, qui super eo orat in hunc ferme modum. **Pater noster &c.** Secr. usque ad **℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvum fac servum tuum Domine. ℟. Deus meus sperantem in te.**


℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum. ℣. Nihil proficiat inimícus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei. ℣ Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimíci, & persequentis. ℣. Domine exaudi oratiônem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Tuêre, quæsumus Domine, fámulum tuum N, imple eum agnitiône voluntatis tuæ, dirige eum secundùm tuam clementiam in viam salûtis æternæ, aperi manum tuam, & imple animam ejus benedictiône, quatenus castris tuis insertus in illis bonam militiam militet, atque ita tibi militando in hoc sancto proposito devôtus persistat, ut in conspectu tuo sanctus, & immaculatus, atque irreprehensibilis appareat. Per Dominum nostrum &c.

Deinde eum aspergendo benedicit, dicens.

Benedicat te Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus benedictiône, quâ Patres nostros benedicere dignatus est, Abraham, Isaac, & Jacob; & exaltet te Deus in sanctitate, & dilectiône, & impleat omnes petitiônes tuas. Qui vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.



RITUS

RITUS BENEDICENDI, ET IMPONENDI PRIMARIUM LAPIDEM

Pro Ecclesia ædificanda servandus à Sacerdote facultatem habente ab Archiepiscopo.



Cclesiam ex Ordinarii Loci auctoritate tantùm juxta sacrorum canonum, & hujus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ decreta ædificari fas est. Si verò Sacerdos ejus ædificatiònis primarium lapidem benedicendi potestatem habens ejusmodi functiònem peragat, hunc ritum servabit.

Pridie quàm primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti verò die, lapis in Ecclesiæ fundatiòne ponendus, qui debet esse quadratus, & angularis, benedicatur hoc modo.

Sacerdos indùtus Albà, Cingulo, Amictu, Stolà, & Pluviali albi colòris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis, sal, & aquam benedicit (nisi priùs in promptu habeat aquam benedictam) ordinarià benedictiòne, ut supra, pag. 285., & interim dum cantatur à Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi Crux posita est, cum aqua benedicta.

Antiph. Signum salùtis pone Domine Jesu Christe in loco isto, & non permittas introìre Angelum percutientem.

Psalmus 83.

QUàm amabilia sunt tabernacula tua: Domine virtûtum.
Concupiscit, & deficit anima mea: in atria Domini.
Cor meum, & caro mea: exultavêrunt in Deum vivum.
Etenim passer invênit sibi domum, & turtur nidum sibi: ubi repônat pullos suos.
Altaria tua, Domine virtûtum: Rex meus, & Deus meus.
Beati, qui habitant in domo tua: in sæcula sæculorum laudabunt te.
Beatus vir, cujus est auxilium abs te; ascensus in corde ejus disposuit: in convalle fletus, in loco, quem posuit.
Etenim benedictiônes dabit, qui legem dedit: ambulabunt de virtûte in virtûtem, videbitur Deus deorum in Sion.
Domine Deus virtûtum exaudi oratiônem meam: auribus percipe Deus Jacob.
Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.
Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.
Elêgi abjectus esse in domo Dei: magìs quàm habitare in tabernaculis peccatorum.
• Quia misericordiam, & veritatem diligit Dominus: Deus gratiam, & gloriam dabit.
Dominus non privabit bonis: ambulantes in innocentia.
Domine Deus virtûtum: beatus homo, qui sperat in te.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.

Finito Psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum dicit absolûtè.

DomineDeus, qui licèt cælo, & terrâ non capiaris, domum tuam dignaris habêre in terris, ubi nomen tuum jugiter invocêtur: locum hunc, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis, & beati N. (nominando Sanctum, vel Sanctam, in cujus honôrem, ac nomen Ecclesia fundabitur) omniumque Sanctorum intercedentibus meritis,

tis, serêno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusiônem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva, & qui dilecti tui David devotiônem in filii sui Salomônis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere dignêris, effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea stans benedicit primarium lapidem dicens.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festîna.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Hallel. Kyr. Kyr. Kyr.

In Quadragesima, omisso Hallelujah, dicatur Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ, cum ter Kyrie, ut supra.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, & úsque in sæculum.
℣. Lapidem, quem reprobavêrunt ædificantes.
℟. Hic factus est in caput anguli.
℣. Tu es Petrus.
℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor, & imâgo æterni Patris, & vita æterna, qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, & immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma, & tu, qui es principium, & finis, in quo principio Deus Pater ab ini-

tio cuncta creavit, sis, quæsumus, principium, & incrementum, & consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem, & gloriam tui nominis inchoari. Qui cum eôdem Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aquâ benedictâ, & accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum crucis dicens.

In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti.
℟. Amen.
Quo facto, dicit.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Benedic ✠ Domine creatûram istam lapidis, & præsta per invocatiônem sancti tui nominis: ut quicunque ad hanc Ecclesiam ædificandam purâ mente auxilium dederint, corporis sanitatem, & animæ medêlam percipiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Postea dicantur Litaniæ genibus flexis, prout infra habentur, ubi de ritu benedicendi Ecclesiam simplicem, seu Oratorium pag. 299., in quibus postquam dictum fuerit: **Ut omnibus fidelibus defunctis &c.** statim subjungitur: **Ut nos exaudîre dignêris &c.**, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finîtis, omnes surgunt, & Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam.

Manè surgens Jacob erigêbat lapidem in titulum: fundens oleum desuper votum vovit Dominô: verè locus iste sanctus est, & ego nesciêbam.

Psalmus 126.

Nisi Dominus ædificaverit domum: in vanum labôrant, qui ædificant eam.
Nisi Dominus custodierit civitatem: in vanum vigilant, qui custodiunt eam.
In vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis: qui manducatis panem dolôris. Cum

Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii: merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus qui implêbit desiderium suum ex ipsis: non confundêtur, cum loquêtur inimîcis suis in porta.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, & ponit ipsum primarium lapidem in fundamento dicens.

In fide Jesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti, ut vigeat vera fides hìc, fraternaque dilectio, & sit hic locus destinatus oratiôni, & ad invocandum, & laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Interim Cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento: postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam dicens.

Asperges me, Domine, hyssôpo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Psalmus 50. Miserêre mei Deus: secundum magnam &c. & dicitur totus cum Gloria Patri in fine.

Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si verò non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata. Et incipiens aspergere inchoat Antiphonam, Clero prosequente.

O quàm metuendus est locus iste: verè non est hic aliud, nisi Domus Dei, & Porta Cæli.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriôsa dicta sunt de te, Civitas Dei: memor ero Rahab, & Babylônis scientibus me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuêrunt illic.

Mater Sion dicet, homo, & homo factus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit scriptûras populorum, & principum: horum, qui fuêrunt in ea.

Sicut lætantibus omnibus nobis: habitatio est in te.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat &c.

Repetitur Antiphona. O quàm metuendus est locus iste: verè non est hic aliud, nisi Domus Dei, & Porta Cæli.

Interim aspergendo procédit usque ad fundamenta aperta, seu designata, & repetitâ Antiphonâ, stans dicit: Oremus. Ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio I.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modò visitatûri sumus, visites, & quidquid benedictûri sumus, bene ✠ dicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum &c.

Oratio II.

DEus, qui ex omnium cohabitatiône Sanctorum ætérnum majestati tuæ condis habitaculum: da ædificatiôni tuæ incrementa cælestia, ut quod, te jubente, fundatur, te largiente, perficiatur. Per Dominum nostrum &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. K. k. k.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

RITUS

RITUS BENEDICENDI ECCLESIAM SIMPLICEM, ORATORIUMVE,

Ubi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.

Præparanda pro Benedictióne loci.



Acerdos cum scripta facultate.
Alii quatuor, vel plures Sacerdotes, Clericíve cum cottis.
Crux gestatoria.
Duo candelâbra cum cereis.
Aqua ab Episcopo benedicta.
Aspergillum de herba hyssôpi, cum situla.
Pluviale, & stola colôris albi.
Sacræ vestes pro Missa celebranda illo ipso die, in quo benedictio fiet.
Tapête cum pulvinâri præ foribus Ecclesiæ sternendum.
Libri pro canendis Psalmis, & pro Missa celebranda.
Altare mappis, pallio, & ejusmodi exûtum sit.
Parietes item absque tapetibus, peristromatisve sint.
Vacua item sit Ecclesia ab abacis, ut omnia commodè possint aspergi: populusque extra illam stet, donec absolûta sit benedictio.

De Ecclesiæ benedictióne, antequam Missa in ea celebrêtur.

DE scriptà facultate Reverendissimi Archiepiscopi, manè Ecclesiam benedictûrus curat illam postea etiam exteriùs

terius commodè circumdari, & stola, ac pluviali albi colôris indûtus procèdit, prælatâ Cruce mediâ inter duos Clericos deferentes cereos accensos, quam sequuntur alii Sacerdotes, vel Clerici, ad primariam Ecclesiæ januam, ubi stans capite aperto conversus ad eam dicit absolûtè Oratiônem.

A Ctiônes nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam, Asperges me, Domine. Clerus alternis vocibus dicit Psalm. Miserêre mei Deus, &c. in fine Gloria Patri.

Interim circumdant Ecclesiam processionaliter exteriùs, & Sacerdos, accepto aspergillo cum herba hysôpi, ad ejus dexteram se convertens parietes Ecclesiæ in superiôri parte, & in fundamentis cum aqua ab Episcopo benedicta aspergit semper dicens Antiph.

Asperges me, Domine, hysôpo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.

Reversi ad locum, undè Processio initium habuit, & repetitâ totâ Antiphonâ à Clero, ipse stans, ut priùs, versùs Ecclesiam dicit Oremus. Et Ministri, Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio.

D Omine Deus, qui licèt cælo, & terrâ non capiàris, domum tamen dignaris habêre in terris, ubi nomen tuum jugiter invocêtur, locum hunc, quæsumus, Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati N., omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, serêno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusiônem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva, & qui dilecti tui David devotiônem in filii sui Salomônis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere dignêris, effu-

effugiantque omnes hinc nequitiæ ſpirituales. Per Dominum noſtrum &c.

Quâ dictâ, omnes bini Eccleſiam intrantes ad Altare Majus procedunt Litanias, ut mox ſequitur, cantantes.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, miſerêre nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerêre nobis.
Spiritus Sancte Deus, miſerêre nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerêre nobis.
Sancta MARIA, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptiſta, ora.
Sancte Joſeph, ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophêtæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrêa, ora.
Sancte Jacôbe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacôbe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Mathîa, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ, orate.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane, & Sebaſtiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes, & Paule, orate pro nobis.
Sancti Coſma, & Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervâſi, & Protâſi, orate pro nobis.

Omnes

Omnes Sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregôri, ora.
Sancte Ambrôsi, ora.
Sancte Carole, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martîne, ora.
Sancte Nicolâe, ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confessôres, orate.
Omnes Sancti Doctôres, orate pro nobis.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Antôni, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levîtæ, orate.
Omnes Sancti Monachi, & Eremîtæ, orate.
Sancta Marîa Magdalêna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharîna, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera nos Domine.
Ab ira tua, libera nos Domine.
A subitanea, & improvîsa morte, libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.
A fulgure, & tempestate, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera nos Domine.
Per mysterium Sanctæ Incarnatiônis tuæ, libera nos Domine.
Per adventum tuum, libera nos Domine.
Per nativitatem tuam, libera nos Domine.
Per baptismum, & sanctum jejunium tuum, libera nos Domine.
Per crucem, & passiônem tuam, libera nos Domine.

Per

Per mortem, & sepultûram tuam, libera nos Domine.

Per sanctam resurrectiônem tuam, libera nos Domine.

Per admirabilem ascensiônem tuam, libera nos Domine.

Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, libera nos Domine.

In die judicii, libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.

Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere dignêris, te rogamus audi nos.

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, & conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut Domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines in sancta religiône conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut inimîcos sanctæ Ecclesiæ humiliare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut Regibus, & Principibus christianis pacem, & veram concordiam donare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem, & unitatem largîri dignêris, te rogamus audi nos.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, & conservare dignêris, te rogamus audi nos..

Ut mentes nostras ad cælestia desideria erigas, te rogamus audi nos.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Ut animas fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatiône eripias, te rogamus audi nos.

Ut fructus terræ dare, & conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare dignêris, te rogamus audi nos.

Surgit

Surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit, quæ mox sequuntur, & ubi est signum Crucis, dexterâ benedicit Ecclesiam, & Altare.

Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc ad honôrem tuum, & nomen Sancti N. pur✠gare digneris, te rogamus audi nos.

Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc ad honôrem tuum, & nomen Sancti N. pur✠gare, & bene✠dicere dignêris, te rogamus audi nos.

Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc ad honôrem tuum, & nomen Sancti N. pur✠gare, bene✠dicere, & sancti✠ficare dignêris, te rogamus audi nos.

Hic ut priùs genuflectit, & perficiuntur Litaniæ, videlicet.

Ut nos exaudire dignêris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserêre nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleis. Christe eleis. Kyrie eleis. Deinde stans dicit.

Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominatiônis tuæ totus assistis, totus operaris, adesto supplicationibus nostris, & hujus domus, cujus es fundator, esto protector; nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtûte Spiritus Sancti operante, fiat hic tibi semper purum servitium, & devôta libertas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Tum distans ab Altari congruenti spatio, genuflexus, & se signans dicit.

DEus in adjutorium meum intende, & statim surgit, Choro respondente, Domine ad adjuvandum me festîna.

festina. Ipse verò stans, **Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.** Chorus respondet, **Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.**
Id eisdem modo, & loco, secundo, & tertiò fit, voce semper altiùs elevatâ. Postea dicit: **Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.** Oratio.

OMnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modò visitatûri sumus, visites, & quidquid benedictûri sumus, benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum &c.
Quibus absolûtis, inchoat Antiph. Benedic Domine domum istam nomini tuo ædificatam.

Psalmus.

AD Dominum cum tribularer clamavi: & exaudìvit me.
Domine libera animam meam à labiis inìquis: & à lingua dolôsa.
Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam dolôsam?
Sagittæ potentis acûtæ: cum carbonibus desolatoriis.
Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: habitare cum habitantibus Cedar.
Multum incola fuit anima mea, cum his qui odêrunt pacem eram pacificus: cum loquêbar illis impugnabant me gratìs. Sinè Gloria Patri, &c.

LEvavi oculos meos ad montes: undè veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum, & terram.
Non det in commotiônem pedem tuum: neque dormiet qui custôdit te.
Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custôdit Israel.
Domi-

Dominus custodiat te, Dominus protectio tua: super manum dexteræ tuæ.
Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.
Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.
Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Jerusalem.
Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.
Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.
Quia illic sedérunt sedes in judicio: sedes super domum David.
Interrogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtûte tua: & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos: loquêbar pacem de te.
Propter domum Domini Dei mei: exquisivi bona tibi.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Interim aspergit interiùs parietes in parte superiôri, inchoans aspersiônem in parte Evangelii, dicens, **Asperges me Dominé hyssôpo &c.**; tum ad Altare reversus dicit. **Oremus. Flectamus genua. R. Levate.**

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, duos ex diverso venientes, ex circumcisiône, & præputio parietes, duosque greges ovium sub uno, eodemque pastôre unisti, da famulis tuis per hæc nostræ devotiônis officia indissolubile vinculum charitatis; ut nullâ divisiône mentium, nullâque

que perversitatis varietate sequestrentur, quos sub unîus regimine pastòris unus grex continet, uniusque, te custòde, ovîlis septa conclûdunt. Per eundem Dominum nostrum &c. Tum intonat Antiphonam. Domus mea, Domus oratiônis vocabitur.

Psalmus.

AD te levavi oculos meos: qui habitas in cælo.
Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nobis.
Miserêre nobis Domine, miserêre nobis: quia multùm replêti sumus contemptiône.
Et multùm replêta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Sinè Gloria Patri, & Filio, &c.

NIsi quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quòd Dominus erat in nobis.
Cum insurgerent homines in nos: forsitan vivos deglutissent nos.
Cum irascerêtur animus eorum adversùm nos: forsitan ut aquam absorbuissent nos.
Torrentem pertransîvit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam immensam.
Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captûram dentibus eorum.
Anima nostra sicut passer erepta est: de laqueo venantium.
Laqueus contrîtus est: & nos liberati sumus.
Adjutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cælum, & terram. Sinè Gloria Patri, &c.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum: qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

Quia non remittet Dominus virgam peccatorum: super sortem justorum.

Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas: benefac Domine bonis, & rectis corde.

Declinantes autem ad obligatiônem addûcet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

Interim aspergit parietes in fundamentis, dicens: **Asperges &c.**, & ab eodem latere Evangelii.

Ad Altare reversus dicit.

Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio.

Deus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc oratiônis domum gratiam tuam: ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Deinde inchoat Antiph. **Domine dilexi decôrem domus tuæ, & locum habitatiônis gloriæ tuæ.**

Interim aspergit pavimentum cum prædicta aqua per medium, incipiens ante Altare usque ad portam, deinde per transversum de uno pariete ad alium, dicens: **O quàm metuendus est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.**

Reversus ad Altare dicit.

Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Oratio.

Deus sanctificatiônum ómnipotens dominator, cujus pietas sinè fine sentìtur; Deus, qui cælestia simul, & terrêna complecteris, servàns misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, exaudi preces servorum tuórum, ut sint oculi tui aperti super domum

mum iſtam die, ac nocte, hanc quoque Baſilicam in honôrem ſanctæ, & victoriosiſſimæ Crucis, & memoriam Sancti tui N. ſacris myſteriis inſtitûtam clementiſſimus dedi ✠ ca, miſeratus illu ✠ ſtra, proprio ſplendôre cla ✠ rifica, omnemque hominem venientem adorare te in hoc loco placatus admitte, propitius reſpicere dignare, & propter nomen tuum magnum, & manum tuam fortem, & brachium tuum excelſum, in hoc tabernaculo ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, æternâ defenſiône conſerva; ut ſemper felîces, ſemperque in tua religiône lætantes conſtanter in Sanctæ Trinitatis confeſſiône, fide catholicâ perſevêrent. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. ℣. Surſum corda. ℟. Habêmus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro. ℟. Dignum, & juſtum eſt. Verè dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare nos tibi ſemper hìc, & ubîque gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, adeſto precibus noſtris, adeſto ſacramentis, adeſto etiam piis famulorum tuorum laboribus, nobiſque miſericordiam tuam poſcentibus. Deſcendat quoque in hanc Eccleſiam tuam, quam ſub invocatiône ſancti Nominis tui, in honôrem ſanctæ Crucis, in qua coæternus tibi Filius tuus Dominus noſter Jeſus Chriſtus pro redemptiône mundi pati dignatus eſt, & memoriam Sancti tui N. nos indigni benedicimus, Spiritus Sanctus tuus ſeptiformis gratiæ ubertate redundans; ut quotieſcunque in hac domo tua ſanctum Nomen tuum fuerit invocatum, eorum, qui te invocaverint, à te pio Domino preces exaudiantur. O Beata, & Sancta Trinitas, quæ omnia purificas, omnia mundas, & omnia perornas. O Beata Majeſtas Dei, quæ cuncta imples, cuncta contines, cuncta

 diſpô-

diſpônis. O beata, & ſancta manus Dei, quæ omnia ſanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas. O Sancte Sanctorum Deus, tuam clementiam humillimâ devotiône depoſcimus, ut hanc Eccleſiam tuam, per noſtræ humilitatis famulatum, in honôrem ſanctæ, & victorioſiſſimæ Crucis, & memoriam Sancti N. pur ✠ gare, puri ✠ ficare, & ſancti ✠ ficare perpetuâ ſanctificatiônis tuæ ubertate dignêris. Hìc quoque Sacerdotes ſacrificia tibi laudis offerant. Hìc fidêles populi vota perſolvant. Hìc peccatorum onera ſolvantur, fideleſque lapſi reparentur. In hac ergo, quæſumus, Domine, domo tua Spiritus Sancti gratiâ ægrôti ſanentur, infirmi recuperentur, claudi curentur, leprôſi mundentur, cæci illuminentur, dæmonia ejiciantur. Cunctorum hìc debilium incommoda, te, Domine, annuente, pellantur, omniumque vincula peccatorum abſolvantur, ut omnes, qui hoc Templum beneficia juſtè deprecatûri ingrediuntur, cuncta ſe impetraſſe lætentur, ut conceſsâ miſericordiâ, quam precantur, perpetuo miſeratiônis tuæ munere glorientur. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. ℣. Bene ✠ dicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen. ℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Chriſti. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. ℣. Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Missa de Dominica, vel de Sancto, cum commemoratione benedictiônis, ut infra.

Oratio super Populum.

DEus, qui dixisti, domus mea domus orationis vocabitur: domum istam mundare, & sanctificare dignêris, & omnium preces, & vota hoc in loco ad te clamantium clementer exaudias, & benignè suscipias. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Oratio super Sindonem.

DEscendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hanc Ecclesiam, & hoc Altare: qui & dona nostra, & populi tui in eo sanctificet, & sumentium corda dignanter emundet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Oratio super Oblatam.

HÆc hostia, quæsumus, Domine, & locum istum ab omnibus immunditiis expurget: & supplicatiônes nostras semper, & ubîque tibi reddat acceptas. Per Dominum nostrum &c.

Oratio post Communiônem.

PErcipientes, Domine, munera salûtis æternæ supplices exoramus: ut Templum hoc virtûte tuâ emundatum, benedictiône tuâ maneat sanctificatum, & pectora nostra ab omni sorde vitiorum alienata, tibîque devota semper existant. Per Dominum nostrum &c.

De situ, forma, & amplitudine Ecclesiæ simplicis, aut Oratorii cum Altari, ubi Missæ sacrificium celebrari possit.

SItus ad simplicem Ecclesiam, sive Oratorium construendum eligatur, qui eminentior aliquantò ampliùs sit reliquo situ, ita ut ad illud tribus gradibus, vel unico saltem ascendatur.

Sit procul ab omni strepitu, à luto, cœno, spurcitia, & ab humiditate.

Ejus posterior pars in æquinoctialem orientem vergat, ita ut Sacerdos dum celebrat, illum rectà spectet.
Unicâ tantùm navi constet, cujus longitûdo, præter cappellam, ne minor sit cubitis duodecim, latitûdo decem.
In capite navis extruatur cappella fornicata, cujus latitûdo sit cubitorum saltem octo, longitûdo, & altitûdo, quæ cum latitudine conveniat.
Pavimentum cappellæ è lapidibus lateritiis, vel cœmentitio opere decenter conficiatur.
Ad ejus ingressum gradus unus sit, cui cancelli ferrei, vel lapidei, vel lignei figantur.
Fenestra in ipsa cappella, meridiemque versùs fiat; ita à solo distans, ne foris stantes introspiciant, quod cavendum erit in aliis fenestris cujuslibet Ecclesiæ construendis.
Altare item lapideum sit, in quo nulla fenestra, aut forâmen relinquatur. Parieti adhærêbit; ejus longitûdo ne minor sit cubitis quatuor, latitûdo duobus, altitûdo à bradellæ solo cubitis duobus, & unciis octo.
Altaris mensa tabulis sectilibus cooperiatur, in qua lapis sacer ad præscriptum insertus sit.
Tribus mappis, quarum superior etiam ab utrôque latere ad terram usque pertingat.
Cruce item, duobus saltem candelâbris orichalchi, tabellâ secretorum, Iconâ decenti instruatur, vel paries post Altare sacris pictûris ornêtur.
Telâris instrumentum, cui pallia annectuntur, illi adhibeatur.
Bradella è tabulis sectilibus sit, eâdem penitus mensûrâ, quæ de Altari præscripta est, sub qua alter gradus ex lapide erit, cujus latitûdo sit unciarum sexdecim, altitûdo verò illîus, atque etiam bradellæ sit unciarum octo.
Fenestella pro urceolis in pariete post Altare, & á latere Epistolæ fiat.

Ab

Ab inferiòri Altaris gradu uſque ad cancellos intervallum duorum ſaltem cubitorum relinquatur.

Sacriſtìa à meridionali latere extruatur, ìn qua oratorium, lavatorium, ſacri Calices, & reliqua ſupellex pro Miſſæ celebratiòne ſint. Ab aquilonari autem parte campanìle erit conſtituendum.


Janua è regiòne Altaris, formàque quadratà ſit, ſuper qua orbicularis feneſtra conſtruatur.

Labrum aquæ benedictæ è lapide ſolido, non ſpongiòſo ad dexteram ingreſſus intra Oratorium collocêtur.

Cubiti longitûdo eſt unciarum vigintiquatuor, quæ conſtituunt, conficiuntve novem uncias brachii, quo fabri lignarii utuntur.

Unicam habeat Campanam.

Ne ſit in interioribus ædium laicalium partibus.



RITUS BENEDICENDI NOVUM CŒMETERIUM

Per Sacerdotem ab Ordinario delegatum.



Ridie quàm fiat benedictio, ponitur in medio Cœmeterii benedicendi lignea Crux alta ad staturam hominis, & antè ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas. Sequenti die manè Sacerdos in Sacristia paratus Albâ, Cingulo, Amictu, Stolâ, & Pluviali albi colôris, adhibitis aliquot Sacerdotibus, & Clericis indûtis superpelliceis, qui deferant vasculum aquæ benedictæ, aspergillum, & thuribulum cum incensi navicula, & hoc rituali libro, & tribus candelis cereis, procêdit ad benedicendum Cœmeterium ante Crucem in medio positam, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem, & candelas stans, discooperto capite, dicit absolûtè.

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, & tutêla salûtis, & fides credentium, respice propitius ad nostræ servitûtis officium: & ad introitum nostrum purgêtur, ✠ benedicatur, ✠ & sanctificêtur ✠ hoc Cœmeterium, ut humana corpora hìc post vitæ cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Dominum nostrum &c.

Mox

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias, quæ supra habentur pag. 299., & cum dictum fuerit: **Ut omnibus fidelibus defunctis &c. Te rogamus audi nos.**

Sacerdos surgit, & clarà voce dicit producens dexterà signum crucis: **Ut hoc Cœmeterium purgare, & benedicere ✠ dignêris. ℟. Te rogamus audi nos.**

Deinde Sacerdos genuflectit ut priús, & Litaniæ perficiuntur.

Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit aquà benedictà, dicens Antiphonam.

Asperges me, Domine, hysôpo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Psal. **Miserêre mei Deus: secundùm magnam &c.,** dicitur totus cum **Gloria Patri, &c.**

Quo absolûto, repetitur Antiph. **Asperges me.** Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, & perambulat totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aquà benedictà. Quo facto, redit ante Crucem, & ad ipsam respiciens dicit.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, qui es totius Orbis Conditor, & humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium, & invisibilium perfectus dispositor: te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc Cœmeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula hujus vitæ labentia, purgare, ✠ benedicere, ✠ & sanctificare ✠ dignêris: quique remissiônem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc Cœmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus consolatiônem perpetuam largiter impartire. Per Dominum nostrum &c.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.
Kyrie eleison, Kyrie eleison. Kyrie eleison.
℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.
℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis.

Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens aquâ benedictâ redit cum Ministris in Sacristiam.



DE

DE ECCLESIÆ, ET CŒMETERII

Reconciliatiône à Sacerdote delegato ab Archiepiſcopo, vel ejus Vicario Generali.



QUamvis Eccleſiæ, & Cœmeterii reconciliatio propriè ad Epiſcopum pertineat, tamen S. Carolus Card. S. Praxêdis Archiepiſc. Mediol. à fel. record. Pio Quarto litteras obtinuit, quibus conceditur, ut Archiepiſcop. Mediolanen., vel ejus Vicarius perpetuò poſſit quoslibet Sacerdotes deligere, qui, adhibita aquâ per Archiepiſcopum, ſeu alium Epiſcopum benedictâ, hujuſmodi functiônem in Civitate, vel Diœceſi Mediolanenſi obeat.

In primis ergo facultas ab Archiepiſcopo, vel ejus Vicario obtinenda eſt; tamen à Sacriſta Metropolitanæ, penes quem aſſervatur, aqua benedicta habenda; ipſa verò Eccleſia, & Altaria omnino nudantur, cureturque, ut poſſit liberè circuîri.

Quibus omnibus paratis, Sacerdôs ad id electus in Sacriſtîa, vel alio decenti loco ornatus Stolâ, & Pluviali albi colòris ſupra ſuperpelliceum, præcedentibus aliquot Clericis, & Miniſtris, præviâ Cruce delátâ inter duos Acolythos Candelábra cum cereis accenſis deferentes, qui ſemper in tota actiône præcêdunt Sacerdotem, procêdit ad Cœmeterium, ſi eſt reconciliandum, aliàs ante portam principalem Eccleſiæ, habêns ad ſiniſtram Acolythum,

lythum, seu Clericum, qui deferat vas aquæ benedictæ prædictæ, cum aspersorio de herba hyssopi facto, atque ibi inchoat, Scholâ prosequente, Antiphonam.

Asperges me, Domine, hyssôpo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor.

Psalmus 50. **Miserêre mei Deus: secundùm magnam &c.** Totus dicitur cum **Gloria Patri &c.**

Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona, & Psalmus dicuntur, Sacerdos aspergit cum ipsa aqua in circuitu deforis Ecclesiam, & Cœmeterium simul, aspergendo aquam alternatim, nunc ad murum Ecclesiæ, nunc ad terram Cœmeterii, & specialiter loca contaminata. Quo tacto, rediens ad locum, ubi incêpit Antiphonam, stans, detecto capite, dicit.

Oremus

Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam: ut quod modò visitatûri sumus, visites, & quidquid benedictûri sumus, bene ✠ dicas, sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde iterum dicit. **Oremus.** Et minister à dextris dicit. **Flectamus genua,** omnesque genuflectunt; alter verò Minister à sinistris dicit. **Levate,** & omnes surgunt; tum Sacerdos dicit Orationem.

Aufer à nobis, quæsumus, Domine cunctas iniquitates nostras, ut ad loca tuo sancto Nomini purificanda puris mereamur mentibus introîre. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si non est reconciliandum Cœmeterium omittitur sequens Oratio. Si verò Ecclesia simul cum Cœmeterio reconcilia-

ciliatur, Sacerdos, finitâ præcedente Oratiône, mox dicit. **Orêmus.** Et Ministri, **Flectamus genua. Levate**, ut supra.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui insepultûram peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim, Domine, figulus noster, tu quiêtis nostræ ager, tu agri hujus es pretium, tu dedisti etiam, & suscepisti, tu de pretio, & in pretio tui vivifici sanguinis nos requiescere fecisti, & donasti. Tu ergo Domine, qui es offensiônis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justæ severitatis abscondens, post miseratiônem tuæ piæ redemptiônis, adesto exauditor, & effector nostræ reconciliatiônis; hocque Cœmeterium mausolêum peregrinorum tuorum cælestis patriæ incolâtum expectantium benignus purifica, & reconcilia, & hic tumulatorum, & tumulandorum corpora, de potentia, & pietate tuæ resurrectiônis, ad gloriam incorruptiônis, non damnans, sed glorificans resuscita, qui ventûrus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postea canitur Litanîa. Et Sacerdos ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eam, genuflectitque coram Altari majôre.

KYrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de Cælis Deus, miserêre nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserêre nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserêre nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserêre nobis.
Sancta MARIA, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.

Sancte

Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes Sancti beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophêtæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrêa, ora.
Sancte Jacôbe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ, orate.
Omnes Sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes Sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancti Fabiane, & Sebastiane, orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, orate pro nobis.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Gregôri, ora.
Sancte Ambrôsi, ora.
Sancte Carole, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolâe, ora.
Omnes Sancti Pontifices, & Confessôres, orate.
Omnes Sancti Doctôres, orate pro nobis.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Antôni, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate.
Sancta Maria Magdalêna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Margarita, ora.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, orate pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine. Ab

Ab omni malo, libera nos Domine.

Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera nos Domine.

Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.

A fulgure, & tempestate, libera nos Domine.

A morte perpetua, libera nos Domine.

Per mysterium Sanctæ Incarnatiônis tuæ, libera nos Domine.

Per adventum tuum, libera nos Domine.

Per nativitatem tuam, libera nos Domine.

Per baptismum, & sanctum jejunium tuum, libera nos Domine.

Per crucem, & passiônem tuam, libera nos Domine.

Per mortem, & sepultûram tuam, libera nos Domine.

Per gloriosam resurrectiônem tuam, libera nos Domine.

Per admirabilem ascensiônem tuam, libera nos Domine.

Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, libera nos Domine.

In die judicii, libera nos Domine.

Peccatôres, te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.

Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.

Ut pacem nobis dones, te rogamus audi nos.

Ut Ecclesiam tuam regere, defendere, & conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religiône conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut Regibus, & Principibus christianis pacem, & veram concordiam largîri dignêris, te rogamus &c.

Ut cunctum populum christianum pretiôso sanguine tuo redemptum conservare dignêris, te rogamus audi nos.

Ut mentes nostras ad cælestia desideria erigas, te roga-

rogamus audi nos.

Ut animas nostras, & parentum nostrorum ab æterna damnatiône eripias, te rogamus audi nos.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus &c.

Ut omnibus fidelibus vivis, & defunctis vitam, & requiem æternam concedere dignêris, te rogamus audi nos.

Ut obsequium servitûtis nostræ tibi rationabile facias, te rogamus audi nos.

Sacerdos surgit, & producens signum crucis super Altare, Ecclesiam, & Cœmeterium, dicit.

UT hanc Ecclesiam, & Altare hoc, ac Cœmeterium purgare, & recon ✠ ciliare dignêris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundo dicit. Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc, ac Cœmeterium purgare, recon ✠ ciliare, & sancti ✠ ficare dignêris. ℟. Te rogamus audi nos. Tertiò dicit. Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc, ac Cœmeterium purgare, recon ✠ ciliare, sancti ✠ ficare, & conse ✠ crare dignêris. ℟. Te rogamus audi nos.

Si autem Cœmeterium non sit reconciliandum, nulla de Cœmeterio fit mentio. Quibus dictis, iterum genuflectit, Litaniaque perficitur.

Ut nos exaudîre dignêris. Te rogamus audi nos.
Fili Dei. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Miserêre nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Quâ finita, Sacerdos surgit, & stans versus ad dictum Altare dicit. Oremus. Et Ministri. Flectamus genua. Levate, ut supra.

DEus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi Filii tui Domini nostri passiône solvisti: da propitius, ut conformes eidem effecti, sicut imaginem terrêni parentis natûræ

tûræ necessitate portavimus, ita imaginem cælestis gratiæ sanctificatiône portêmus, per virtûtem ejusdem Christi Filii tui Domini nostri, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit, & dicit.

Deus in adjutorium meum intende.

Tum surgit Sacerdos, & Chorus respondet.

Domine ad adjuvandum me festina.

Tunc Sacerdos stans dicit.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Chorus respondet. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Item fit eisdem modo, & loco secundò, & tertiò, voce semper altiùs elevatâ, atque versùs Altare parumper in competenti spatio procêdendo. Quibus dictis, Sacerdos inchoat, scholâ prosequente, Antiphonam.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui odêrunt eum à facie ejus.

Ex Psalmo ipso 67.

In Ecclesiis benedicite Deum Dominum: de fontibus Israel.

Repetitur Antiphona in quolibet versu.

Ibi Beniamin adolescentior in pavôre, Principes Juda duces eorum: Principes Zabulon, & Principes Nephtalim.

Repetitur Antiphona.

Manda Deus virtûtem tuam: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Repetitur Antiphona.

A templo tuo in Jerusalem: tibi offerent reges munera.

Repetitur Antiphona.

Increpa feras silvæ: concilium taurorum inter vaccas populorum.

Repetitur Antiphona.

Ut excludantur hi, qui probati sunt argento: dissipa gentes, quæ bella volunt. X Repe-

Repetitur Antiphona.

V enient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus suas Deo.

Repetitur Antiphona.

R egna terræ cantate Deo, psallite Domino: cantate Deo, qui ascendit super cælos cælorum ad orientem.

Repetitur Antiphona.

E cce dabit voci suæ vocem virtûtis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Repetitur Antiphona.

M irabilis Deus in Sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtûtem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur.

Interim dum Antiphona, & Psalmus prædicti dicuntur, Sacerdos circuit ter Ecclesiam intrinsecùs, aspergendo in primo circuitu parietes in superiôri parte. In secundo autem in inferiôri parte eorum. In tertio verò pavimentum Ecclesiæ, aspergit etiam specialiter loca contaminata, quando Ecclesia principaliter est pollûta, vel violata. Quo facto, Sacerdos stans ante Altare, ut supra, dicit.

DEum indultôrem criminum, Deum sordium mundatôrem, Deum, qui corruptum peccatis originalibus mundum adventus sui nitôre purificavit, fratres charissimi, supplices deprecêmur, ut contra diaboli furentis insidias fortis nobis propugnator assistat: ut si quid ejus virôsâ calliditate quotidianis insectationibus maculatum in loco isto, corruptumque fuerat, efficiatur cælesti miseratiône purgatum, quia sicut illius est solidum, perfectumque quassare, ita auctôris est nostri lapsa restituere, nutantia stabilire, & corrupta purgare. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

Deinde mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit

præfa-

præfatiônem. Per omnia fæcula fæculorum. ℟. Amen. ℣. Dominus vobifcum. ℟. Et cum fpiritu tuo. ℣. Surfum corda. ℟. Habêmus ad Dominum. ℣. Gratias agamus Domino Deo noftro. ℟. Dignum, & juftum eft. Verè dignum, & juftum eft æquum, & falutare, nos tibi femper, & ubîque gratias agere, Domine fancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Cujus immenfa bonitas, ut non habuit principium, ita nec terminum habêbit. Qui divînâ, naturalîque pietate plenus eligis in nobis magis reftituere perdita, quàm percutere peritûra. Et fi quid aut negligentia polluit, aut ira committit, aut ftimulat ebrietas, aut libîdo fubvertit, hoc, Domine, clementi patientià fuftines, ut ante per gratiam purifices, quàm percutias per furôrem. Et operis tui providus plafmâtor eligis potiùs erigere jacentia, quàm punîre damnanda. Te, Domine, fupplices deprecamur, ut hujus tabernaculi receptaculum placatus afpicias, & Altare tuum, quod infectantis eft inimîci fraude pollûtum, per infufiônem gratiæ cæleftis purifices, purificatum poffideas, poffeffumque, ne deinceps aliquâ labe fordefcat, cuftodias. Abfint in pofterum omnes nequitiæ fpirituales, & eliminentur, extinguatur antîqui ferpentis invidia, & cum omnibus fraudibus fuis diaboli turma propellatur. Efferat fecum maculam, quam ingeffit, & perennibus quandôque fuppliciis deputandus, operum fuorum femina fecum colligat peritûra. Nihil hìc in pofterum noceat præteriti culpa contagii. Nihil fit, quod remaneat inimîci fraude pollûtum, quandoquidem fpiritus tui eft infufiône purgatum. Refurgat Ecclefiæ tuæ pura fimplicitas, & candor innocentiæ hactenus maculatus, dum receperit gratiam refurgat ad gloriam, ut populorum fidelium hìc turba conveniens, dum petitiônis ingerit vota, votorum fuorum fentiat fe obtinuiffe fuffragia.

Quod ſequitur dicit planè legendo, ita tamen, quòd à circumſtantibus audiri poſſit.

Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Poſt hæc Sacerdos inchoat, ſcholà proſequente, Antiph. **Introìbo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventûtem meam.**

Pſalmus 42.

JUdica me Deus, & diſcerne cauſam meam: de gente non ſancta.

Ab homine inìquo, & dolôſo: eripe me.

Quia tu es Deus fortitûdo mea: quare me repuliſti?

Quare triſtis incêdo, dum afflìgit me inimicus? Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxêrunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

Introìbo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventûtem meam.

Confitèbor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deum, quoniam confitèbor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus. Et non dicitur. **Gloria Patri, &c.**

Sed Antiphona repetitur, quà repetîtâ, Sacerdos dicit.

Orêmus. Et Miniſtri. **Flectamus genua. Levate,** ut ſupra.

DEus, qui in omni loco dominatiònis tuæ clemens, ac benignus purificator aſſiſtis, exaudi nos, quæſumus, & concede: ut in poſterum inviolabilis hujus loci permaneat conſecratio, & tui muneris beneficia univerſitas fidelium, quæ ſupplicat, percipere mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſtans ibidem inchoat, ſcholà proſequente, Antiphonam. **Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo ſancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.**

Pſalmus

Psalmus 67.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimìci ejus: & fugiant à facie ejus, qui odèrunt eum.

Sicut deficit fumus, deficiant; ſicut defluit cera à facie ignis: ſic pereant peccatòres à facie Dei, & juſti epulentur.

Exultent in conſpectu Dei: delectentur in lætitia.

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occàſum, Dominus nomen eſt ei.

Exultate in conſpectu ejus: turbabuntur à facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus inhabitare facit unìus moris in domo.

Qui edûcit vinctos in fortitudine: ſimiliter & eos, qui in ira provocant, qui habitant in ſepulcris.

Deus dum egrederèris coràm populo tuo: dum tranſgrederêris in deſerto.

Terra mota eſt, etenim cæli diſtillavêrunt à facie Dei, qui eſt in Sina: à facie Dei Iſrael.

Pluviam voluntariam ſegregans Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam.

Animalia tua inhabitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum: evangelizantibus virtûtes multas.

Rex virtûtum dilecti: & ſpeciêi domus dividere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros: ibi pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriôra dorſi ejus in pallôre auri.

Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam: nive dealbabuntur in Selmon.

Montem Dei, montem uberem: mons coagulatus, mons uber.

Ut quid ſuſpicitis montem uberem? montem, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit uſque in finem.

Currus Dei decem millium multiplex : millia lætantium.
Dominus in illis in Sina in ſancto, aſcendiſti in altum: cepiſti captivitatem, accepiſti dona in homines.
Etenim non credentes inhabitare, Dominus Deus benedictus: benedictus Dominus de die in diem.
Proſperum iter faciet nobis Deus ſalutaris noſter, Deus noſter, Deus ſalvos faciendi: & Domini, Domini exitus mortis.
Veruntamen Deus conquaſſabit capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.
Dixit Dominus, ex Baſan convertam: convertam in profundum maris.
Ut intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.
Viſi ſunt greſſus tui, Deus: greſſus Dei mei Regis, qui eſt in ſancto.
Prævenêrunt Principes conjuncti pſallentibus: in medio juvenum tympaniſtriarum.
In Eccleſiis benedicite Deum Dominum: de fontibus Iſrael.
Ibi Beniamin adoleſcentior in pavôre, principes Juda duces eorum: principes Zabulon, & principes Nephthalim.
Manda Deus virtûtem tuam: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
A templo tuo in Jeruſalem: tibi offerent Reges munera.
Increpa feras ſylvæ: concilium taurorum inter vaccas populorum.
Ut excludantur hi, qui probati ſunt argento: diſſipa gentes, quæ bella volunt.
Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ſuas Deo.
Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino: cantate Deo, qui aſcendit ſuper cælos cælorum ad orientem.
Ecce dabit voci ſuæ vocem virtûtis, date gloriam Deo ſuper

per

per Israel: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtûtem, & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

Gloria Patri, & Filio, &c. Deinde repetitur Antiphona prædicta. Psalmo absolûto, Sacerdos dicit. **Oremus.**

Deus, qui Ecclesiam tuam sanctam de omnibus mundi finibus congregatam, per tui lateris admirabile Sacramentum, cunctarum gentium matrem esse dixisti, quam etiam populorum varietate depictam sanctorum Martyrum tuorum meritis decorasti, bene ✠ dic Domine, quæsumus, Sanctorum tuorum opitulante suffragio, tam Altare, quod eorum exornatur, te juvante, reliquiis, quàm Ecclesiam, ac fidelium tuorum tibi piè offerentium vota in illa sanctifica. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo. Kyr. el. Kyr. el. Kyr. el.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Tandem poterit Sacerdos Missam celebrare, in qua saltem fiet commemoratio Sancti titulàris illius Ecclesiæ.



DE
SOLIUS CŒMETERII
RECONCILIATIONE,
A Sacerdote delegato ut ſupra.



Acerdos habens facultatem, & aquam benedictam, ut ſupra, in Sacriſtia, vel alio decenti loco, indûtus Stolâ, & Pluviali albo ſupra ſuperpelliceum, habens ante ſe crucem, & candelabra duo cum ſuis luminaribus, ac vaſe cum aqua benedicta, & aſperſorio facto de herba hyſsôpi, procêdit in medio Cœmeterii, & ibi incipit genuflexus Litanîas, ut ſupra in Reconciliatiône Eccleſiæ, in quibus, cum dictum fuerit, **Ut omnibus fidelibus &c.,** & Reſp. **Te rogamus audi nos.** Sacerdos ſurgit, & prodûcens ſignum crucis ſuper Cœmeterium dicit.

Primò. Secundò. Tertiò.

Ut hoc Cœmeterium recon ✠ ciliare dignêris. ℟. Te rogamus audi nos. Secundò dicit. Ut hoc Cœmeterium recon ✠ ciliare, & ſancti ✠ ficare dignêris. ℟. Te rogamus audi nos. Tertiò dicit. Ut hoc Cœmeterium purgare, recon ✠ ciliare, ſancti ✠ ficare, & conſe ✠ crare dignêris. ℟. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, iterum genuflectit, & perficitur Litanîa.

Quâ finitâ, Sacerdos ſurgit, & ibîdem incipit Antiphonam.

Aſperges me, Domine, hyſsôpo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Pſal-

Psalmus 50.

MIserêre mei Deus: secundùm magnam misericordiam tuam. Totus dicitur sine **Gloria Patri, &c.**

Dum Antiphona, & Psalmus prædictus dicuntur, Sacerdos circuit Cœmeterium incipiens ad ejus dexteram aspergens semper, & ubìque aquam benedictam cum aspersorio, & potissimùm in loco, ubi pollutio, vel violatio commissa est, quo peracto, redit ad locum ubi Litaníæ dictæ fuêrunt, finitòque Psalmo prædicto, & Cœmeterio undique asperso, Sacerdos stans dicit. **Orêmus.** Minister à dextris. **Flectamus genua,** & omnes genuflectunt. Minister à sinistris. **Levate,** omnesque surgunt; tum subjungit Oratiônem.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepultûram peregrinorum comparari voluisti, quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim Domine figulus noster, tu quiêtis nostræ ager, tu agri hujus es pretium, tu dedisti etiam, & suscepisti, tu de pretio, & in pretio tui vivifici sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensiônis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justæ severitatis abscondens post miseratiônem tuæ piæ redemptiônis, adesto exauditor, & effector nostræ reconciliatiônis, hocque Cœmeterium mausolêum peregrinorum tuorum cælestis patriæ incolâtum expectantium, benignus purifica, & reconcilia, & hìc tumulatorum, & tumulandorum corpora, de potentia, & pietate tuæ resurrectiônis, ad gloriam incorruptiônis, non damnans, sed glorificans, resuscita. Qui ventûrus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. **℟. Et cum spiritu tuo.** **Kk. k.**

℣. Benedicat &c. ut supra.

ORDO

ORDO
AD BENEDICENDOS AGROS
AUCTORITATE APOSTOLICA.



Rima si mandano lettere alli Parrochi della Pieve, che invitino i loro popoli a ricevere questi tesori di benedizioni Appostoliche, e gli avvisino della continenza del Breve; e perciò si fà stampare il Breve, e il suo Sommario, e si pubblica da ciascun Curato.

Indicano il digiuno triduano con processioni triduane in que' giorni stessi di digiuno nella vicinanza di ciascuna Parrocchia la Settimana avanti.

Invitino ognuno a confessarsi in quella Settimana, ed a comunicarsi poi quella Domenica, ovvero festa, nella quale si farà l'azione.

Avanti si canti la Messa, prima gli uomini di ciascun Comune con giuramento faranno quelle promesse, che saranno state conchiuse, e riceveranno le penitenze, che loro saranno imposte, e di ciò si faccia pubblico Instrumento a Comune per Comune.

Fatto questo si canterà Messa con Diacono, e Suddiacono parati solennemente, della Domenica, colla commemorazione Pro peccatis, *ed* A cunctis, *e perciò si faccia provvisione di Musica competente.*

Al fine del Vangelo si leggerà il Breve in Pulpito, latino, e volgarizzato ancora.

Poi si farà il Sermone dal Celebrante.

Poi finito il Sermone si canterà la Confessione dal Diacono.

Poi

Poi il Celebrante farà intimare penitenza salutare di cinque Pater nostri, e cinque Ave Marie, le quali finite, dirà, Misereatur vestri &c., Indulgentiam &c., tum absolvet sub hac forma verborum, videlicet.

Dominus noster Jesus Christus per suam piissimam misericordiam vos, & quemlibet vestrum absolvat, & ego auctoritate ipsius, & beatissimorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctissimi Patris, & Domini nostri Domini N. Divinâ Providentiâ Papæ N., & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in hac parte vobis concessâ, & mihi commissâ, in quantum possum, & valeo, & debeo, & mihi permittitur, absolvo, & totaliter libero vos, & quemlibet vestrum oppidi N., & pagorum, seu villarum huic plebi subjectarum, & quorumcunque defunctorum antecessorum vestrorum animas à quibusvis excommunicatiònis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censûris, & pœnis per vos hactenus incursis, & restituo vos sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communiòni, & unitati fidelium. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Dopo essersi comunicato, il Celebrante comunicherà gli altri, che vi saranno.

Finita la Messa si ordinerà la Processione al Cimiterio, ed il Celebrante metterà un Piviale paonazzo con gli Assistenti.

Avanti esca di Chiesa intonerà De profundis *disteso, e si finirà tutto.*

Nell' uscir di Chiesa s'incomincerà dal Diacono Asperges me; *ed il Celebrante comincerà a far l'aspersione, e si canterà il* Miserêre *dà Cantori, e dal Coro il verso* Asperges *alternatamente.*

Essendo stato circuito tutto il Cimiterio con quest' ordine si ritirerà tutto il Clero nel mezzo di detto Cimiterio, e canterà il Responsorio pro Defunctis, Libera me, &c.

Men-

Mentre il Clero canterà questo Responsorio, il Celebrante metterà l'Incenso nel Turibolo, e poi aspergerà tre volte sopra detto Cimiterio, nel mezzo, alla destra, e alla sinistra, e similmente incenserà.

Finito il Resp. dirà le infrascritte Preci, disteso.

Pater noster. Secretò ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Non intres in judicium. ℟. Cum servis tuis Domine. ℣. Ne tradas bestiis animas confitentium tibi. ℟. Animas pauperum tuorum ne oblivifcaris in finem. ℣. Domine exaudi oratiônem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Exurge Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus, cujus miseratiône animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulâbus tuis omnibus hìc, & ubìque in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absolûtæ tecum sinè fine lætentur. Per eundem Dominum nostrum &c.

Finita questa orazione s'inuia la Processione al primo luogo verso l'Oriente, dove si hà da benedire il paese.

Nell'andare si cantano li Salmi graduali tre per ogni atto, o stazione, ripetendoli, se avanza tempo.

Nè luoghi, dove si ha da fare detta benedizione, si faccia qualche apparato.

I luoghi saranno quattro, cioè da Oriente, mezzo giorno, Occidente, Settentrione, ed alla Chiesa, come abbasso.

Benedictio Agrorum.

Arrivati a ciascun de' sopraddetti luoghi, il Celebrante dirà le infrascritte Preci.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit

cit cælum, & terram. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos. ℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre nobis. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Salvum fac populum tuum Domine. ℟. Et benedic hæreditati tuæ. ℣. Vox Domini super aquas multas. ℟. Deus Majestatis intonuit. ℣. Vidêrunt te aquæ Deus. ℟. Vidêrunt te aquæ, & timuêrunt. ℣. Quid est tibi mare, quòd fugisti? ℟. Et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum? ℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. ℟. Domine Deus virtûtum, beatus homo, qui sperat in te. ℣. Domine exaudi oratiônem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio I.

Rex æterni Imperii omnipotens Deus, qui das escam omni carni, qui operis cælum nubibus, & paras terræ pluviam, qui mandas nubibus desuper, & januas cæli aperis, qui transfers austrum de cælo, & indûcis in virtûte tua africum, qui rigas montes de superioribus suis, & de fructu operum tuorum satiatur terra, qui Angelo præcepisti, ne terræ, mari, neque arboribus nocêret, parce Domine metuentibus, & propitiare supplicantibus; te enim, Domine, supplices exoramus, ut procul absit ab his agris incursio turbinum, calamitas tempestatum, fragor grandinum, percussio fulminum, & quælibet insidiæ inimici, temperentur infesta tonitrua, noxiæ pluviæ, ventorum flamma fiat moderatè suspensa, omnis quoque spiritus procellarum, & aëreæ potestates dexterâ tuæ prosternantur virtûtis. Descendat, quæsumus

mus, Domine, super hos agros Spiritus Sanctus; & sicut Samuêli cornigerum Agnum in holocaustum tuum mactanti fragor aurarum turbam repulit adversantem, ita fugatis omnibus contrariæ potestatis virtutibus, mentes, & corpora fidelium, frugesque manus servet angelica protectiône supernâ, & post sopitos nubium impetus, in laudis, & devotiônis, ac spiritualis amôris augmentum transeat comminatio potestatis.

Oratio II.

OMnipotens sempiterne Deus, arbiter throni, qui molem terræ ex nihilo pendentem gubernas, & ad victum humani generis, corporisque sustentatiônem agros operibus excolere jussisti, misericordiam tuam supplices exoramus, ut quidquid in his agris salûbris seminis satum, atque plantatum est, & in posterum serêtur, aut plantabitur, respectu tuæ clementiæ prospicias, & aeris temperiem moderare dignêris, ut resecato, atque absorpto omnium tribulorum, spinarum, atque grandinum, ac tempestatum squallôre, efficias fruges fœcundas, & ad maturitatem perfectam tribuas pervenîre, ut nos famuli tui uberem tuorum donorum fructum cum gratiarum actiône percipientes, debitas, atque acceptas nomini tuo laudes referre mereamur.

Oratio III.

TE, Domine, petimus, ac rogamus, ut hos agros, frugesque seminum cujuscunque generis ex his procedentes, tuis oculis serênis, hilarîque vultu respicere dignêris: sicut enim testatus es Moysi famulo tuo in terra Ægypti, dicens; Dic filiis Israel cum ingressi fuerint terram promissiônis, quam eis datûrus sum, ut primitias frugum offerant Sacerdotibus, & erunt benedictæ fruges: ita & nos oramus te, Domine, ut auxilium gratiæ tuæ super nos, & hos agros, fructusque ex his procedentes rorem tuæ benedictiônis infundas, ut non grando

do surripiat, non turbo subvertat, nec vis tempestatis detruncet, nec aeris serenitas exûrat, non inundatio pluviâlis exterminet, sed incolumes, & superabundantes propter usum hominum ad plenissimam maturitatem perducere dignèris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. K. k. k.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Di poi il Celebrante con l'acqua benedetta fa l'aspersione sopra detti campi, benedicendoli, ut infra.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat, & maneat super hos agros. ℟. Amen.

Così si fa in ogni luogo de' quattro sopraddetti.

Nel fine andando verso la Chiesa si canta Te Deum laudamus, *ovvero*, Benedicite omnia opera Domini &c.

Entrati in Chiesa, il Celebrante dice, Dominus vobiscum, *in tuono, e canta l'infrascritta Orazione.*

Oratio.

Plebs tua, Domine, capiat sacræ benedictiônis augmentum, & copiôsis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis: quæ tantis intercessiônum deprecationibus adjuvatur. Per Dominum nostrum, &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. K. k. k.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Benedictio aquæ Baptismalis minùs solemnis

Extra Sabbatum Sanctum, aut Pentecostes facienda ex superioribus rubricis, scilicet de Baptismi administratiône, titulo: Quæ Paroch. in Baptismi administratiône &c. vers. Tr verò in Eccl. pag. 9. ℣. Deus

℣. Deus in adjutorium meum intende &c. ut supra in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto Sacramentis, & ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptiònis emitte: ut quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtûtis impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hic exsufflat Sacerdos in aqua in modum crucis, dicendo sic: Exsufflo te immundissime spiritus ✠ In nomine Domini nostri Jesu Christi. ℟. Amen.

Exorcismus.

Exorcizo te, creatûra aquæ, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine ✠ Jesu Christi Filii ejus, & Spiritus ✠ Sancti; si quod phantasma, si qua virtus inimîci, si qua incursio diaboli, eradicare, & effugare ab hac creatûra aquæ, ut fiat fons aquæ salientis in vitam æternam. Et cum baptizatus fuerit aliquis famulus Dei, non ei dominêtur ulla infirmitas corporis, neque adversêtur ei humani generis inimîcus: sed dum renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, fiat templum Dei vivi in remissiônem peccatorum. In nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine ✠ Jesu Christi Filii ejus, qui ventûrus est judicare sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde accipit chrisma, & fundens in aqua in modum crucis ita dicit:

Sit fons iste sacer sanctificatus, & perunctus: In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, &c. ut supra in rubricis generalibus.

Bene-

Benedictio Crucis solemnior.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

BEne ✠ dic, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superasti passiône tuâ suggestôrem peccati, qui gaudêbat in prævaricatiône primi hominis per ligni vetiti sumptiônem. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

ROgamus te, Domine sancte Pater omnipotens sempiterne Deus, ut dignêris bene ✠ dicere hoc lignum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum; sit solâmen, & protectio, ac tutêla contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde dicit mediocri voce, extensis manibus ante pectus, præfatiônem. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habêmus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. Dignum, & justum est. Verè dignum, & justum est, æquum, & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, cujus sanctum, ac terribile nomen, inter ceteras visibiles creatûras, ligna quoque fructifera laudare, ac benedicere non cessant: Qui in figûram unigenitæ sapientiæ tuæ, ligno vitæ à principio paradisum voluptatis ornasti, ut ejus-

dem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis mortem cavêre, & vitam admonêres obtinêre perpetuam: Quique nos vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coæternæ tibi sapientiæ Dei, & Domini nostri Jesu Christi innoxiâ morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es: Te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli, quo pretiôso Filii tui sanguine triumphasti, fidelium tuorum devotiône compactum, erectumque est, cælesti tuâ bene ✠ dictiône sanctificare dignêris; ut omnibus hìc genua flectentibus, ac tuæ majestati supplicantibus largior & cordis compunctio, & admissorum indulgentia concedatur; atque intercedente ipsâ victoriosissimâ unigeniti Filii tui passiône, & tibi placita postulare, & citiùs valeant postulata percipere. Da quæsumus, clementissime Pater, in quo vivimus, movemur, & sumus, ut quoties triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuêmur, quotiesque mente recolimus, & contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, & majôrem tibi devôtæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ majestatis examine, cum paventibus elementis, cælorumque commôtis virtutibus, signum istud glorificum redemptiônis nostræ apparuerit in cælo, ipsi de morte ad vitam transîre, ac perpetua beatæ resurrectiônis vidêre gaudia mereamur.

Quod sequitur, dicitur submissâ voce legendo, ita tamen, quod à circumstantibus audiri possit. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

DEus, qui beatæ crucis patibulum, quod priùs erat scelestis ad pœnam, convertisti redemptis ad vitam; conce-

concede plebi tuæ ejus vallâri præsidio, cujus est armata vexillo. Sit ei crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvâmen; sit ei in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultûra; ut per eam pastor in futûro gregem conservet incolumem, quæ nobis, Agno ✠ vincente, conversa est in salûtem. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio.

Sancti ✠ fica, Domine Jesu Christe, signaculum istud passiônis tuæ, ut sit inimîcis tuis obstaculum, & credentibus in te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum. Qui cum Deo Patre vivis, & regnas in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum offertur Sacerdoti thus in navicula, aut alio vase, quod Sacerdos benedicit dicens.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremôre, quorum servitium spirituale, & igneum esse cognoscitur, dignare respicere, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare hanc creatûram incensi; ut omnes languôres, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimîci odôrem ejus sentientes effugiant, & separentur à plasmate tuo, ut nunquam lædatur à morsu antîqui serpentis, quod pretiôso Filii tui sanguine redemisti. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo facto, Sacerdos impônit thus in thuribulum. Deinde aspergit Crucem aquâ benedictâ, & mox eam incensat. Tum dicit.

Sanctificêtur lignum istud: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti: Et benedictio illîus ligni, in quo membra sancta Salvatôris suspensa sunt, sit in

isto ligno; ut orantes, inclinantesque se propter Deum, ante istam Crucem inveniant corporis, & animæ sanitatem. Per eundem Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Tum Sacerdos, flexis ante Crucem genibus, ipsam devotè adôrat, & osculatur. Idem faciunt quicunque alii voluerint.

Si vero Crux est ex metallo, vel lapide, loco præcedentis orationis, videlicet: **Sanctificetur lignum istud &c.** Sacerdos dicit Oratiônem sequentem.

DEus gloriæ, Deus excelse Sabaoth, fortissime Emmanuel, Deus pater veritatis, pater sapientiæ, pater beatitúdinis, pater illuminatiônis, ac vigilatiônis nostræ; qui mundum regis, qui cuncta regna dispônis, qui es bonorum collâtor munerum, & bonorum omnium attribûtor; cui omnes gentes, populi, tribus, & linguæ serviunt; cui assistit omnis Angelorum legio; qui largîris famulis tuis fidem, & laudem tui nominis, ut debita tibi oblâta persolvant; cui priùs fides offerentium complacet, deinde sacrificatur oblatio, quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, ut sancti ✠ fices tibi hoc signum Crucis, & conse ✠ cres, quod totâ mentis devotiône famulorum tuorum religiôsa fides construxit, trophæum scilicet victoriæ tuæ, ac redemptiônis nostræ, quod in amôrem Christi triumphalis gloria consecravit. Aspice hoc signum Crucis insuperabile, per quod diaboli est exinanìta potestas, mortalium restitûta libertas: quæ licèt fuerit aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honôrem per gratiam; & quæ reos quondam puniêbat supplicio, nunc & noxios absolvit à debito. Et tibi quid per hoc placêre potuit, nisi id, per quod tibi placuit nos redimere? Et nullum tibi debitum ampliùs munus est, quàm quod tibi tunc corporis dedicavit affixio; nec tibi est magìs familiàris oblatio, quàm quæ familiari manuum tuarum extensiône sacrata est. Illis

ergo

ergo manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es; & de sanctitate illius hanc sancti ✠fica; & sicuti per illam mundus expiatus est à reatu, ita offerentium famulorum tuorum animæ devotissimæ hujus Crucis merito omni careant perpetrato peccato; & tuæ veræ Crucis obtectu enitescant successibus assiduis triumphatóres. Radiet hìc unigeniti Filii tui Domini nostri splendor divinitatis in auro; emicet gloria passiônis ejus in ligno; in Cruce rutilet nostra mortis redemptio; in crystalli splendôre vitæ nostræ purificatio. Sit suorum protectio; spei certa fiducia; eos simul cum gente, & plebe, fide confirmet; spe, & pace consociet; augeat triumphis; amplificet in secundis; proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis; ut eos temporâli florentes gloriâ muniat, & ad perpetuam redemptos corônam, ad regna cælestia potenti virtûte perdûcat. Præsta per propitiatiônem sanguinis ejus, per ipsum datôrem, qui se ipsum dedit redemptiônem pro multis, qui se hostiam pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno Crucis suæ principatus, & potestates humiliavit, qui tecum sidereo considet throno, indissolubili connexiône Spiritus Sancti, per infinita sæculorum sæcula. ℟. Amen.

Tum Sacerdos, flexis ante Crucem genibus, eam devôtè adôrat, & osculatur. Idem faciunt quicunque alii voluerint.

Alia Crucis benedictio minùs solemnis.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Bene ✠ dic, Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum à potestate dæmonum, & superasti pas-

passiône tuâ suggestôrem peccati, qui gaudebat in prævaricatiône primi hominis per vetiti ligni sumptiônem. Qui cum Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

Rogamus te, Domine Sancte Pater omnipotens sempiterne Deus, ut dignèris bene ✠ dicere hoc lignum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano: sit soliditas fidei, bonorum operum profectus, & redemptio animarum: sit solâmen, & protectio, ac tutèla contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit Crucem aquâ benedictâ, & thure adolet, & dicit.

Sanctificêtur istud Crucis signum: In nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti: ut orantes, inclinantesque se propter Deum ante istam Crucem inveniant sanitatem corporis, & animæ. ℟. Amen.

Deinde genibus flexis Crucem adôrat, & osculatur. Idem faciunt, qui præsentes adsunt.

Benedictio Imaginum Jesu Christi Domini nostri, beatæ Virginis Marîæ, & aliorum Sanctorum.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas

illas oculis corporeis intuêmur, toties eorum actus, & sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditêmur: hanc, quæsumus, imaginem, seu sculptûram in honôrem, ac memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, vel beatissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi, vel beati. N. adaptatam bene ✠ dicecere, ac sancti ✠ ficare dignêris: & præsta, ut quicunque coram illa ipsum unigenitum Filium tuum, vel ipsam beatissimam Virginem, vel ipsum gloriosissimum N. suppliciter honorare studuerit, illius meritis, ac obtentu à te gratiam in præsenti, & æternam gloriam obtineat in futuro. Per Dominum &c. ut in rubricis generalibus. Deinde aspergit imaginem aquâ benedictâ.

In præcedenti oratiône, si imâgo est Apostoli, dicitur, beati N. Apostoli tui; si est Martyris, beâti N. Martyris tui; si est Pontificis, & Confessôris, beati N. Pontificis, & Confessôris tui; si est Confessôris tantummodo, beati N. Confessôris tui; si Virginis, & Martyris, beatæ N. Virginis, & Martyris; si Matrônæ, beatæ N. Matrônæ; & sic deinceps, ubi dicitur ipsum gloriosissimum N. dicêtur, vel Apostolum, vel Martyrem, itidemque prout est Sanctus, Sanctave, cujus imâgo benedicitur.

Benedictio solemnior Imaginis Beatæ Marîæ Virginis.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

Antiphona. Sub tuum præsidium. Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.

Gloriôsa dicta sunt de te, civitas Dei: memor ero Rahab, & Babylônis scientibus me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuêrunt illic.

Mater Sion dicet, homo; & homo factus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit scriptûras populorum, & principum: horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantibus omnibus nobis: habitatio est in te.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph. Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix Virgo: nostras deprecatiônes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo benedicta.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui clementiæ tuæ dispositiône, cuncta ex nihilo creasti, hanc imaginem in honôrem piissimæ Genitrîcis Filii tui Domini nostri Jesu Christi venerabiliter expressam bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare dignêris, & præsta, misericordissime Pater, per invocatiônem Nominis tui, atque ejusdem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quem pro salûte humani generis, integritate Virginis Mariæ servatâ, incarnari voluisti, quatenus, precibus ejusdem Sacratissimæ Virginis, quicunque eandem misericordiæ Regînam, & gloriosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerint, & de instantibus periculis eruantur, & in conspectu divînæ majestatis tuæ de commissis, & omissis veniam impetrent, atque mereantur in præsenti gratiam, quam desiderant adipisci, & in futûro perpetuâ salvatiône cum electis tuis valeant gratulari. Per eundem &c.

Hic

Hic aspergit illam aquâ benedictâ, deinde dicit.

Oratio.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis: ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvêmur. Per eundem Dominum nostrum &c.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Benedictio Tabernaculi pro conservanda Sacra Eucharistia.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur: ut vasculum hoc pro Corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum, bene ✠ dictiònis tuæ gratiâ dicare dignêris. Per eundem Dominum nostrum, &c.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde illud aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio Umbellæ Altaris.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui fidêli famulo tuo Moysi præcepisti, ut duos Cherubim super arcam testamenti collocaret, quam extensis ad alterutrum alis protegerent: quæsumus ineffabilem clementiam tuam,

ut

ut hoc tegumen venerandi Altaris tui, ad honorificentiam nominis tui compactum, placitus, ac misericors illustratiône vultus tui bene + dicere, & sancti + ficare dignêris. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum, &c. ut in rubricis generalibus.
Deinde illam aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio Vasculi, aut capsæ sacrarum Reliquiarum.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

BEne + dic, quæsumus, Sancte Pater omnipotens æterne Deus, hoc conditorium sanctorum pignorum, ad recondenda in eo tuorum munera pretiôsa Sanctorum, in Christo Jesu Domino nostro. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Benedictio Thuribuli.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Deus, qui dum filios Israel ob rebellem sui contumaciam, durum vastaret incendium, Aaron Sacerdotem tuum inter vivos, ac mortuos orando stantem, tibîque incensum offerentem exaudîre dignatus es, populumque de incendio liberare; bene + dic hoc quæsumus Thuribulum: & præsta, ut quoties tibi in eo offerimus incensum, nos ipsos Christo tuo efficias boni odôris

odôris acceptabile templum. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum, &c. ut in rubricis generalibus.
Posteà aspergit illud aquâ benedictâ.

Benedictio contra aeris tempestatem.

Tempore tempestatis debent pulsari campanæ omnes loci illius, quamdiu durat periculum tempestatis, & præcipuè dum sequentes fiunt oratiônes: & interim Parochus indûtus superpelliceo, & stola violaceâ, convocato Clero, & Populo, ad Altare majus consistit, ubi Sanctissimi Sacramenti Tabernaculo aperto, & luminibus in Altari accensis, omnes, genibus flexis, devôtè orabunt: tum Parochus cum Clero dicet, quæ sequuntur.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Hallelujah.

Psalmus 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum: & in via peccatorum non stetit.

Et in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini fuit voluntas ejus.

Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte, & erit tamquam lignum: quod plantatum est secus decursus aquarum.

Quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet: & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quem proiicit ventus à facie terræ.

Ideo non resurgunt impii in judicio: neque peccatores in concilio justorum.

Quo-

Quoniam novit Dominus viam justorum: & iter impiorum peribit.
Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

Psalmus 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiêscet in monte sancto tuo?
Qui ingreditur sinè macula: & operatur justitiam.
Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.
Et opprobrium non accêpit adversùs proximum suum, ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum magnificat.
Qui jurat proximo suo, & non decipit; qui pecuniam suam non dedit ad usûram: & munera super innocentem non accêpit.
Qui facit hæc: non movebitur in æternum.
Gloria Patri, &c.

Psalmus 53.

DEus in nomine tuo salvum me fac: & in virtûte tua libera me.
Deus exaudi oratiônem meam: auribus percipe verba oris mei.
Quoniam aliêni insurrexêrunt super me: & fortes quæsiêrunt animam meam.
Non proposuêrunt Deum ante conspectum suum, ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.
Averte mala inimîcis meis: & in veritate tua disperde illos.
Voluntariè sacrificabo tibi: & confitêbor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.
Quoniam ex omni tribulatiône eripuisti me: & super inimîcos meos respexit oculus meus.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psal.

Psalmus 69.

DEus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, & revereantur omnes: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, & confundantur: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te Domine, & dicant semper, magnificètur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego verò egênus, & pauper sum: Deus adjuva me.

Adjûtor meus, & liberator meus es tu: Domine ne tardaveris.

Gloria Patri, & Filio &c.

Psalmus 86.

FUndamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion: super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: memor ero Rahab, & Babylônis scientibus me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuèrunt illi.

Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.

Dominus narrabit scriptûras populorum, & principum: horum, qui fuèrunt in ea.

Sicut lætantibus omnibus nobis: habitatio est in te.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 92.

DOminus regnavit, decôrem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtûtem.

Etenim firmavit orbem terræ: qui non commovebitur.

Parata sedes tua, Deus: ex tunc à sæculo tu es.

Eleva-

Elevavêrunt flumina Domine, elevavêrunt flumina voces suas: à vocibus aquarum multarum.
Mirabiles elatiônes maris: mirabilis in altis Dominus.
Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctificatio, Domine, in longitudinem diêrum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.
Labôres fructuum tuorum manducabis: beatus es, & benè tibi erit.
Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.
Filii tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicêtur omnis homo: qui timet Dominum.
Benedicat te Dominus ex Sion: & videas, quæ bona sunt Jerusalem, omnibus diêbus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pax super Israel.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

LITANIÆ. ut supra fol. 317.

Pater noster, secretò usque ad ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. ℣. Adjuva nos Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos. ℣. Nihil proficiat inimîcus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre nobis. ℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te. ℣. Salvum fac populum tuum, Domine. ℟. Et benedic hæreditati tuæ. ℣. Vox Domini super aquas multas. ℟. Deus majestatis intonuit. ℣. Vidêrunt te aquæ, Deus. ℟. Vidêrunt te aquæ, & timuêrunt. ℣. Quid est tibi mare, quod fugisti? ℟. Et tu Jordânis, quia conversus es retrorsum? ℣. Non privabis bonis eos, qui ambulant in innocentia. ℟. Domine Deus virtû-

tum

tum, beatus homo qui ſperat in te. ℣. Domine exaudi oratiónem noſtram. ℟. Et clamor noſter ad te perveniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

REx æterni imperii omnipotens Deus, qui das eſcam omni carni, qui operis cælum nubibus, & paras terræ pluviam, qui mandas nubibus deſuper, & januas cæli aperis, qui angelo præcepiſti, ne terræ, mari, neque arboribus nocêret, parce Domine metuentibus, & propitiare ſupplicantibus. Te, Domine, ſupplices exoramus, ut procul abſcêdat incurſio turbinum, calamitas tempeſtatum, fragor grandinum, percuſſio fulminum, & quælibet inſidiæ inimici. Deſcendat, quæſumus, Domine, deſuper Spiritus Sanctus, & ſicut Samuêli cornigerum agnum in holocauſtum tuum mactanti fragor aurarum turbam repulit adverſantem, ita fugatis omnibus contrariæ poteſtatis virtutibus, fruges, mentes, & corpora fidelium manus ſervet angelica, protectiône ſupernâ, & poſt ſopitos nubium impetus, in laudis, & devotiônis, ac ſpiritualis amôris augmentum tranſeat comminatio tempeſtatis. Per Dominum &c.

Oratio.

DOmine Jeſu Chriſte, qui feciſti Cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt; quique flumini Jordâni benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti; & tuas ſanctiſſimas manus, & brachia ſacratiſſima in cruce extendiſti, quibus aerem ſanctificaſti; obſecramus immenſam pietatis, & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes diſſipare dignêris, ut alligata poteſtas dæmonum in ipſis ſæviens deficiat ad laudem tui Sanctiſſimi Nominis. Qui vivis, &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum, &c. ut in rubricis generalibus.

Poſteà

Postea in janua Ecclesiæ contra tempestatis procellas aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio Cilicii pro pœnitentia agenda.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens, & misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ misericordiam quærentibus hoc indumento vestîtis misericordiam, & veniam tribuisti: oramus clementiam tuam, ut hoc cilicium bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare dignêris; ut quicunque eo pro peccatis suis indûtus fuerit, & misericordiam imploraverit, veniam, & indulgentiam tuæ misericordiæ consequatur. Per Dominum &c. ℞. Amen.

℣. Dominus vobiscum. &c. ut in rubricis generalibus.
Deinde aspergit illud aquâ benedictâ.

Benedictio Cineris pro pœnitentia agenda.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus indulgentiæ, Deus pietatis, & misericordiæ, qui Ninivîtis cinere, & cilicio indûtis, & misericordiam tuam clamantibus subvenisti: exaudi nos propitius, & concede, ut hanc creatûram cineris, quo peccatôres indulgentiam tuæ misericordiæ implorantes utuntur, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficatiônis tuæ gratiam super eum infun-

infundere digneris: ut quisquis illius aspersus pulvere fuerit, indulgentiam, & remissionem à te pio Domino mereatur percipere delictorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus. Deinde aspergit illum aquâ benedictâ.

Benedictio Candelarum.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, bene✠dic candelas istas supplicationibus nostris: infunde eis Domine per virtûtem Sanctæ Crucis✠ benedictiônem cælestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemque benedictiônem signaculo Sanctæ Crucis ✠ accipiant, ut in quibuscumque locis accensæ, sive positæ fuerint, discêdant principes tenebrarum, & contremiscant, & fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis; nec præsûmant ampliùs inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus. Postea eas aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio domus à Dæmone vexatæ, aut tempore pestis.

PArochus domum benedictûrus, primò patremfamilias, cujus domus est monêbit ea, quæ Concilio Provinciali quinto de benedictiône ædium demonstrata

 sunt

sunt; tum ipse manè antequam benedictionem aggrediêtur, Missam celebrabit, in qua orationem de Spiritu Sancto dicet: Missaque celebratâ, superpelliceo, & stolâ violaceâ indûtus ad illiûs benedictiônem procédet, adhibitis Clericis duobus, uno, qui Crucem, altero, qui vasculum aquæ benedictæ cum aspergillo feret, aliis item Sacerdotibus, & Clericis, quos adhibêre potest. Ubi domum venit, in ejus primo vestibulo, vel ingressu dicit, ut infra.

℣. **Deus in adjutorium, &c.** ut in rubricis generalibus.
℣. **Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.**

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ ceteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut, quod modò visitatûri sumus, visites, & quidquid benedictûri, bene ✠ dicas: & ad ea, quæ actûri sumus, dexteram tuæ potentiæ extendas: sintque ad nostræ humilitatis ingressum, & introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, depulsio pestis, & Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Psalmos Graduales, & prosequitur cum Clero, aut Choro quinque primos, aquam benedictam aspergendo per loca domus.

Psalmus 119.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, ut supra **fol. 303. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.**

Psalmus 120.

Levavi oculos meos ad montes, ut sup. **fol. 303. Gloria Patri, &c.**

Psalmus 121.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, ut sup. **fol. 304. Gloria Patri, &c.** Psal-

Psalmus 122.

Ad te levavi oculos meos, ut sup. fol. 305. Gloria Patri, &c.

Psalmus 123.

Nisi quòd Dominus erat in nobis, ut sup. fol. 305. Gloria Patri, &c.

Quibus finitis, dicit Sacerdos stans in ipso limine, aut vestibulo domus.

℣. Domine exaudi orationem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmum tuam, Domine, clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansiônem: & præsta, ut in hac domo nulla malignorum spirituum dominêtur nequitia, nec contagio pestis. Per Dominum nostrum &c.

Deinde incipit, ac dicit Psalmos sequentes; & procêdit aspergendo iterum loca domus.

Psalmus 124.

Qui confidunt in Domino, ut supra fol. 305. Gloria Patri, &c.

Psalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc replêtum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatiône.

Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere cum illis: Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent: euntes ibant, & fiebant mittentes semina sua.

Venientes autem venient in exultatiône: portantes manipulos suos. Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificaverit Domum: in vanum labôrant, qui ædificant eam.
Nisi Dominus custodierit civitatem: in vanum vigilant, qui custodiunt eam.
In vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis: qui manducatis panem dolôris.
Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii: merces fructus ventris.
Sicut sagittæ in manu potentis: ita filii excussorum.
Beatus qui implêbit desiderium suum ex ipsis: non confundêtur, cum loquêtur inimîcis suis in porta.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 127.

BEati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.
Labôres fructuum tuorum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.
Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tuæ.
Filii tui sicut novellæ olivarum: in circuitu mensæ tuæ.
Ecce sic benedicêtur omnis homo: qui timet Dominum.
Benedicat te Dominus ex Sion: & videas quæ bona sunt Jerusalem, omnibus diêbus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pax super Israel.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 128.

SÆpe expugnavêrunt me à juventûte mea, dicat nunc Israel: sæpe expugnavêrunt me à juventûte mea.
Etenim non potuêrunt mihi: supra dorsum meum fabricavêrunt peccatores.
Prolongavêrunt iniquitates suas: Dominus justus concîdet cervîces peccatorum.

Confun-

Confundantur, & avertantur retrorsum: omnes, qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum ædificiorum: quod, priusquam evellatur, arescit.

De quo non implêbit manum suam, qui metit: nec sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixêrunt prætereuntes, benedictio Domini super vos: benediximus vos in nomine Domini.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Quibus finitis, stans in limine portæ primariæ dicit.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominatiônis tuæ totus assistis, & totus operaris; adesto supplicationibus nostris, ut hujus domus ædificatæ sis protector, & nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat; sed virtûte Spiritus Sancti, & operatiône fiat tibi hic purum servitium, & devôta libertas existat. Per Dominum nostrum &c.

Post incipit Psalmum; De profundis, *& prosequitur ipsum, & alios sequentes, ac interim tertiò aspergit domum aquâ benedictâ*.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem oratiônis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinêbit?

Quia apud te propitiatio est: & propter nomen tuum sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo tuo: speravit anima mea in Domino.

A vigilia matutina usque ad noctem : speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia est : & copiósa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel : ab omnibus iniquitatibus eorum.
Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat, &c.

Psalmus 130.

DOmine, non est exaltatum cor meum : neque eláti sunt oculi mei.
Neque ambulavi in magnis : neque in mirabilibus super me.
Si non humiliter sentiêbam : sed exaltavi animam meam.
Sicut ablactatus super matrem suam : ita retribues in anima mea.
Speret Israel in Domino : ex hoc nunc, & usque in sæculum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 131.

MEmento Domine David : & omnis mansuetudinis ejus.
Sicut juravit Domino : votum vovit Deo Jacob.
Si introiero in tabernaculum domus meæ : si ascendero super lectum stratus mei.
Si dedero somnum oculis meis, aut palpebris meis dormitatiônem : aut requiem temporibus meis.
Donec inveniam locum Domino : tabernaculum Deo Jacob.
Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis sylvæ.
Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco, ubi stetêrunt pedes ejus.
Exurge Domine in requiem tuam : tu, & arca sanctificatiônis tuæ.
Sacerdôtes tui induantur justitiâ : & Sancti tui exultent.
Propter David servum tuum : non avertas faciem Christi tui.

Juravit

Juravit Dominus David veritatem: & non frustrabitur eum.
De fructu ventris tui: ponam super sedem tuam.
Si custodierint filii tui testamentum meum: & testimonia mea hæc, quæ docêbo eos.
Et filii eorum usque in æternum: sedêbunt super sedem tuam.
Quia elêgit Dominus Sion: præelêgit eam in habitaculum sibi.
Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam præelêgi eam.
Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.
Sacerdôtes ejus induam salutare: & Sancti ejus exultatiône exultabunt.
Illuc prodûcam cornu David: paravi lucernam Christo meo.
Inimîcos ejus induam confusiône: super ipsum autem florêbit sanctificatio mea.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 132.

Ecce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.
Sicut unguentum in capite: quod descendit in barbam, in barbam Aaron.
Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
Quia illic mandavit Dominus benedictiônem: & vitam usque in sæculum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 133.

Ecce nunc benedicite Dominum: omnes servi Domini.
Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.
In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum, & terram.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Quibus complctis, Sacerdos ſtans in limine, aut veſtibulo domus dicit.

℣. Domine exaudi orationem noſtram.
℟. Et clamor noſter ad te perveniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc domum oculis tuæ pietatis illuſtra: deſcendat ſuper habitantes in ea gratiæ tuæ larga bene ✠ dictio: ut in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes ipſi tuum ſemper ſint habitaculum. Per Dominum &c. ℟. Amen.

Deinde procedit ad primarium locum domus, ubi ſequens Evangelium legitur.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
℣. Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.
℟. Gloria tibi Domine.

IN illo tempore. Ingreſſus Dominus Jeſus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipſe dives. Et quærêbat vidêre Jeſum quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatûrà puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut vidêret eum; quia inde erat tranſitûrus. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum; & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manêre. Et feſtinans deſcendit, & excêpit illum gaudens. Et cum vidêrent omnes, murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jeſus ad eum: Quia hodie ſalus huic domui facta eſt; eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ. Venit enim filius homi-

hominis quærere, & salvum facere quod perierat.

Deinde benedicit incensum in hunc modum.

Per intercessiônem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, & omnium sanctorum Angelorum, incensum istud dignêris, Domine, bene✠dicere, & in odôrem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea idem Sacerdos ponit incensum in thuribulo, & incensat loca domus dicendo.

Incensum istud à te benedictum ascendat ad te, Domine, & descendat super nos misericordia tua.

Finitâ incensatiône reversus in eundem primarium locum dicit.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Visita, quæsumus Domine, habitatiônem istam, & omnes insidias inimîci ab ea longè repelle, & Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant: benedictio tua sit super eam semper. Per Dominum nostrum &c.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Postremò Sacerdos benedicit domum, & habitantes in ea, dicendo.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super hanc domum, & omnes habitantes in ea, & maneat semper. ℟. Amen.

Benedictio domus novæ.

℣. Deus in adjutorium meum intende &c., ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Oratio.

TE Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, & pro ejus habitatoribus, ac rebus, ut eam bene ✠ dicere, & sanctificare, ac bonis omnibus ampliare digneris. Tribue eis, Domine, de rore cæli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ substantiam; & desideria voti eorum ad effectum tuæ miseratiônis perdûcas. Ad introitum ergo nostrum bene ✠ dicere, sanctificare dignare hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac, & Jacob, & intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque, & ejus habitatôres custodiant. Per Dominum nostrum &c.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde aspergit domum aquâ benedictâ, dicendo Antiph.

Asperges me, Domine, hyssôpo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.

Ordo aspersionis aquæ in Vigilia Natalis Domini.

PArochus superpelliceo, & stolâ indûtus singulas Parochiæ suæ ædes obit, ingrediensque dicit: **Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.**

Deinde domum aspergens dicit Antiphonam.

Asperges me, Domine, hyssôpo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor. Halleluiah., & Psalmum, **Miserêre mei Deus,** cum **Gloria Patri, &c.**

Repetitur Antiphona. **Asperges me, &c.** ut supra.

Finitâ aspersiône, in primario loco dicit:

℣. **Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.**

℟. **Et salutare tuum da nobis.**

℣. **Domine exaudi oratiônem nostram.**

℟. **Et clamor noster ad te perveniat.**

℣. Domi-

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

EXaudi nos Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut ſicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni ſanguine linitas ab Angelo percutiente cuſtodiſti: ita mittere dignêris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Dominum noſtrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.

Alia Benedictio domorum alio tempore facienda cum aſperſione aquæ benedictæ.

PArochus, ſeu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aſpergere aquâ benedicta, ingredientes domum dicant: **Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.**

Deinde loca aſpergendo dicant Antiph. **Aſperges me, Domine, hyſsôpo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.** Pſal. **Miſerêre mei Deus: ſecundùm magnam &c.** cum **Gloria Patri** in fine, & repetitur Antiph. **Aſperges me, &c.**

℣. Domine exaudi oratiônem noſtram.
℟. Et clamor noſter ad te perveniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cùm ſpiritu tuo.

Oratio.

EXaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere dignêris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Dominum noſtrum &c. ℟. Amen.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.
Deinde aspergit domum aquâ benedictâ.

Benedictio agni paschalis.

℣. Deus in adjutorium meum intende &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, qui per famulum tuum Moysen in liberatiône populi tui de Ægypto agnum occîdi jussisti in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, & utrosque postes domorum de sanguine hujus agni perungi præcepisti: ita bene + dicere, & sancti + ficare dignêris hanc creatûram carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectiônem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. &c. ut in rubricis generalibus.
Postea aspergit agnum aquâ benedictâ.

Benedictio Ovorum.

℣. Deus in adjutorium meum intende &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

SUbveniat, quæsumus Domine, tuæ bene + dictiônis gratia huic ovorum creatûræ: ut cibus salûbris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actiône sumentibus, ob resurrectiônem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. &c. ut in rubricis generalibus.
Deinde aspergit ova aquâ benedictâ.

Bene-

Benedictio Panis.

℣. Deus in adjutorium &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus, & æternæ vitæ, bene✠dicere dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto: ut omnes ex eo dignè gustantes, inde corporis, & animæ desiderabilem percipiant sanitatem. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus. Deinde aspergit panem aquâ benedictâ.

Benedictio cujuscunque rei comestibilis.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

BEne✠dic, Domine, creatûram istam N., ut sit remedium salutare generi humano: & præsta per invocatiônem sancti nominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint corporis sanitatem, & animæ tutêlam accipiant. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus. Demum eam aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio novi fructus.

℣. Deus in adjutorium &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Oratio.

DEus bonorum nostrorum largitor, qui primitias tibi in lege Moysis offerri præcepisti: bene✠dicere dignêris hunc novum fructum N., & præsta, ut qui ex eo in tuo sancto nomine cum gratiarum actiône vescêtur, corporis, & animæ salûte potiatur. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Demum aspergit novum fructum aquâ benedictâ.

Benedictio frugum novarum.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus multiplica super nos misericordiam tuam, & preces nostras benignus exaudi: ut in has fruges famulorum tuorum veniat speratæ bene✠dictiònis ubertas, ut replêti de frugibus tuis, in tuo nomine de tua gratia semper exultent. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus, ut has terræ nostræ segetes ad maturitatem fertilitatis perducere dignêris: ut esurientium animas bonis affluentibus repleas, & egêni, pauperesque laudent nomen tuum. Per Dominum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Demum aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio Olei simplicis.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

Exor-

Exorcismus.

EXorcizo te, creatûra olei, per Deum Patrem + omnipotentem, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incursus, omne phantasma satanæ eradicare, & effugare ab hac creatûra olei, ut fiat omnibus, qui eo usûri sunt, salus mentis, & corporis in nomine Dei Patris + omnipotentis, & Jesu + Christi Filii ejus Domini nostri, & Spiritus Sancti + Paracliti, & in charitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui ventûrus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremôre, quorum servitium spirituale cognoscitur, dignare respicere, bene + dicere, & sancti + ficare hanc creatûram olei, quàm ex olivarum succo eduxisti, & ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sanitate perceptâ, tibi Deo vivo, & vero gratias agerent: præsta quæsumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine bene + dicimus, usi fuerint, ab omni languôre, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimîci liberentur, & cunctæ adversitates separentur à plasmate tuo, quod pretiôso sanguine Filii tui redemisti, ut nunquam lædatur à morsu serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. &c., ut in rubricis generalibus.
Deinde aspergit oleum aquâ benedictâ.

Bene-

Benedictio loci.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

BEnedic ✠ Domine Deus omnipotens locum istum, ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, & mansuetûdo, plenitûdo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: & hæc benedictio maneat super hunc locum, & super habitantes in eo. Per eundem Dominum nostrum &c. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.
Deinde aspergit locum aquâ benedictâ.

Benedictio thalami nuptialis.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

BEne ✠ dic Domine thalamum hunc, & omnes habitantes in eo: ut in tua pace consistant, & in tua voluntate permaneant, & senescant, & multiplicentur in longitudinem diêrum, & ad regna cælorum perveniant. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.
℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.
Demum thalamum aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio novi Putei.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Do-

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEprecamur, Domine, clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei hujus cælesti benedictiône ✠ sanctifices, & ad commûnem vitam concêdas salûbrem, & ita ex eo fugare dignêris omnem diabolicæ tentatiônis incursum, ut quicunque ex eo abhinc hauserit, biberitvè, vel in quibuslibet necessariis usibus haustâ aquâ usus fuerit, totius virtûtis, ac sanitatis dulcedine perfruatur, ut tibi semper sanctificatôri omnium Domino gratias agere mereatur. Per Dominum &c. ℞. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Demum aspergit puteum aquâ benedictâ.

Benedictio Baptisterii, sive lapidis fontium.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℞. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, Baptisterium hoc salûtis æternæ cælesti visitatiône dedicatum spiritus tui illustratiône sancti ✠fica: ut quotiescunque in fonte isto lavandi trinâ ablutiône fuerint aspersi, purgatiônem, & omnium delictorum suorum indulgentiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Oratio.

MUltiplica, Domine, bene ✠dictiônem tuam; & Spiritus Sancti munere fidem nostram corrobora: ut qui in hæc fluenta descenderint, in libro vitæ adscribi mereantur. Per Dominum &c. ℞. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Postea baptisterium aspergit aquâ benedictâ.

Benedictio terræ ſeminatæ.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oratio.

BEnedicat nos Deus, Deus noſter, & terræ noſtræ ubertatem concêdat, in centuplum amplificet fructus ejus: ut viventes in exultatiône manipulos noſtros colligamus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.
Poſtea aſpergat terram ſeminatam aquâ benedictâ.

Benedictio vineæ.

℣. Deus in adjutorium meum intende, ut in rubricis generalibus.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oratio.

DEus, qui vineam tuam ex Ægypto eductam mirabiliter plantaſti, preces noſtras benignus exaudi: ut in hanc vineam famulorum tuorum bene ✠ dictio cœleſtis copiôſa deſcendat, & quod in ea ad uſum humani generis tribuere dignatus es, multiplicêtur redundando, & rorem tuæ bene ✠ dictiônis infunde. Per Dominum &c. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.
Demum aſpergat vineam aquâ benedictâ.

Benedictio novæ navis.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus. ℣. Do-

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris, & bene ✠ dic navim istam dexterâ tuâ sanctâ, & omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluvio; porrige eis, Domine, dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare; & mitte sanctum Angelum tuum de cælis, qui liberet, & custodiat eam semper à periculis universis, cum omnibus, quæ in ea erunt; & famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper, cursûque tranquillo tuearis; transactisque, riteque perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare dignêris. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus. Postea aspergat navim aquâ benedictâ.

Benedictio novi Sepulcri.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, cujus miseratiône animæ fidelium requiescunt, hunc tumulum bene ✠ dicere dignare, eîque Angelum tuum sanctum deputa custôdem: & quorum, quarumque corpora hîc sepelientur, animas eorum ab omnibus vinculis delictorum absolve, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine lætentur. Per Dominum nostrum &c.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus. Deinde aspergit Sepulcrum aquâ benedictâ.

Benedictio super mulierem, de cujus partu dubitatur.

℣. Deus in adjutorium &c. ut in rubricis generalibus.
Antiph. Terra dedit.

Psalmus 66.

DEus misereatur nobis, & benedicat nos: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nobis.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam judicabis populos in æquitate: & gentes in terra diriges.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Terra dedit fructum suum, benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

Antiph. Terra dedit fructum suum.

Pater noster. Secretò usque ad ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimîci. ℣. Nihil proficiat inimicus in ea. ℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei. ℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuêre eam. ℣. Domine exaudi orationem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DOmine Deus omnium creator, & rector, accipe, quæsumus, sacrificium cordis contrîti, & fervens desiderium

rium famulæ tuæ N. humiliter supplicantis pro conservatiône prolis debilis, quam dedisti eam concipere; & custòdi partem tuam, atque sanctifica immensâ benedictiône gratiæ tuæ; & defende ab omni dolo, & injuria inimìci, ab omnìque adversitate, ut ad lucem præsentis vitæ, te adjuvante, veniat incolumis, tibìque in omnibus jugiter deserviat, & vitam demum consequi mereatur æternam. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde aquâ benedictâ illam aspergit dicens.

Benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat, & sit super te, & super prolem tuam, & maneat semper. ℟. Amen.

Benedictio puerperæ post partum.

Cum primùm puerpera post partum Deo gratias actûra, ex Concilii provincialis decreto, ad Ecclesiam accèdet tunc ad Altare majus veniet, ubi Parochus superpelliceo, & stolâ indûtus ei genuflexæ benedictiònem impartiet statis his precibus.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

Antiph. Anima mea. Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes: & collaudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.

Antiph. Anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. Secretò usque ad ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvam fac ancillam tuam. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuêre eam. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimîci. ℣. Domine exaudi oratiônem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Beatæ Virginis partum, fidelium parientium dolôres in gaudium convertisti, concede propitius: ut hæc famula tua, quæ te fœcunditatis suæ auctôrem, & servatôrem læta cognôvit, ejusdem beatæ Marîæ meritis, & intercessiône, ad æternæ beatitudinis gaudia, unà cum prole sua, pervenîre mereatur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Demum eam aspergit aqua benedictâ, & dicit.

Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.

Benedictio Infantum cum primùm ad Ecclesiam adducuntur.

Solent aliquando laudabiliter, & catholicè pueri à parentibus ad Ecclesiam addûci, ut à Sacerdotibus benedicantur. Cum igitur pueri fuerint in Ecclesia præsentati, Sacerdos stans ante Altare conversus ad pueros coram Altari genuflexos dicit.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

Antiph. Laudate. Psalmus 112.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A

ſolis ortu uſque ad occâſum: laudate nomen Domini.
xcelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cælos gloria ejus.
uis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo, & in terra?
uſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.
t collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.
ui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
loria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto &c.
Antiph. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini: quod eſt benedictum ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.
Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Secretò uſque ad ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Benedic Domine pueris iſtis, & invocêtur ſuper eos nomen Dei vivi. ℟. Et benefacias eis in omni tempore Domine Deus noſter. ℣. Sinite parvulos venîre ad me, & nolite prohibêre eos. ℟. Talium eſt enim regnum cælorum. ℣. Vidête, ne contemnatis unum ex his puſillis. ℟. Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. ℣. Domine exaudi oratiônem noſtram. ℟. Et clamor noſter ad te perveniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Quæſumus, omnipotens Deus, pueris iſtis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene ✠ dicere digneris, & per virtûtem Sancti Spiritus corda eorum corrobora, vitam ſanctifica, caſtimoniam decôra; & ſenſus eorum in bonis operibus munias, & informes: proſpera tribue, pacem concêde, ſalûtem confer, charitatem largîre, & ab omnibus diabolicis, atque humanis inſidiis tuâ protectiône, & virtûte ſemper defende, & in finem ad requiem Paradîſi perducere dignêris. Per Dominum

minum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde Sacerdos super infantum caput manum ponendo, dicit: Complexans pueros Jesus, & impônens eis manus benedicêbat eis.

Hic signum crucis faciendo super eos profert.

Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

His peractis, aspergit illos aqua benedicta.

Benedictio cum infantum capilli primùm inciduntur.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

Antiph. Bonum, & jucundum.

Psalmus 132.

Ecce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: quod descendit in barbam, in barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quia illic mandavit Dominus benedictiônem: & vitam usque in sæculum.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini: in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum, & terram.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Antiph.

Antiph. Bonum, & jucundum eſt laudare Dominum.
Deinde Sacerdos in capite eorum Crucem ex cera confectam ponit, & dicit.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Oratio.
DOmine Salvator, innocentiæ reſtitûtor, humanitatis aſſumptor, manſuetudinis amator, qui tibi oblatis infantibus ſanctæ manus tuæ benedictiônem impônens, talium eſſe dixiſti regnum cælorum, bene ✠ dic, quæſumus, hunc famulum tuum N., cui in nomine tuo initium incidimus capillorum. Tu ei Domine comple ætatem, perfice intellectum, ſapientiamque largîre, ut te intelligat, te timeat, te ſapiat, tuorum ſit præceptorum ſuſceptor, atque implêtor, ut in mandatorum tuorum ambulans via, ad ſenîlem ætatem perveniat, & demum ad vitam perducatur æternam. Qui cum Patre, &c. ℟. Amen.
Finitâ oratione, Sacerdos incidit capillos pueri in tribus locis, & dicit. Oratio.
GRatias tibi agimus, Domine Deus omnipotens, in cujus nomine famuli tui N. capillos incidimus, precamurque majeſtatem tuam, ut te auxiliante uſque ad ſummam ſenectûtem perveniat, vitamque percipere mereatur æternam. Per Dominum &c. ℟. Amen.
Capillis inciſis, dicitur Pſallenda ſequens.
Ecce ſic benedicêtur homo, qui timet Dominum.
Gloria Patri, &c. Ecce ſic benedicêtur homo, qui timet Dominum. Oratio.
DOmine Jeſu Chriſte, qui es caput noſtrum, & corôna omnium Sanctorum, reſpice, quæſumus, ſuper infantiam famuli tui, qui in tuo nomine ſua celebrat vota: ut capillis capitis ſui tonſuratus, per hujus bene ✠ dictiônis copiam, ad ſenîlem venîre mereatur ætatem, & congaudeat ad futûram gloriam, dum ſalûtem conſequê-

quêtur æternam. Per Dominum &c. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.
Deinde benedicit infantem dicens.
Pax, & benedictio Dei omnipotentis, Patris, ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen.
Demum aspergit eum aquâ benedictâ.

Benedictio Peregrinorum.

Peregrini laici religiôsa loca visitatûri, antequam peregrinatiônem suscipiant, Parochum convenient, à quo sanctè peregrinandi consilium capient: tum confessi Sacram Eucharistiam sument: postea litteras ab Archiepiscopo testimoniales petent, ad quarum præscriptum peregrinatiônem dirigent: iisque litteris impetratis, sibi à Parocho proprio postulabunt benedictiônem adhibêri, quam ille impartiet precibus sequentibus.
℣. Deus in adjutorium &c. ut in rubricis generalibus.
Antiphona. In viam pacis.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festîna.
Confundantur, & revereantur omnes: qui quærunt animam meam.
Avertantur retrorsum, & confundantur: qui volunt mihi mala.
Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi euge, euge.
Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, Domine: & dicant semper, magnificêtur Dominus; qui diligunt salutare tuum.
Ego verò egênus, & pauper sum: Deus adjuva me.
Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne tardaveris.
Glo-

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c.

Psalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, fol. 219.

Gloria Patri, & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c.

Antiphona. In viam pacis, & salûtis dirige eos Domine. Kyrie eleis. Kyr. eleis. Kyr. eleis. Pater noster. Secretè usque ad ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Perfice gressus suos in semitis tuis. ℟. Ut non moveantur vestigia sua. ℣. Mirifica misericordias tuas. ℟. Qui salvos facis sperantes in te. ℣. Convertere Domine vsquequo. ℟. Et deprecabilis esto super servos tuos. ℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuêre eos. ℣. Nihil proficiat inimîcus in eis. ℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre eis. ℣. O Domine salvos eos fac. ℟. O Domine benè prosperare: benedictus, qui ventûrus es in nomine Domini. ℣. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua. ℟. Et in præceptis suis, & faciat pacem in diêbus nostris. ℣. Exaudiat Dominus oratiônes vestras. ℟. Et reconciliêtur vobis. ℣. Nec vos deserat in tempore malo. ℟. Dominus Deus noster. ℣. Exurge Domine, adjuva nos. ℟. Et redime nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi oratiônem nostram. ℟. Et clamor noster ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio super baculos.

D'Omine Jesu Christe mundi redemptor, & conditor, qui Beatis Apostolis tuis præcepisti, ut euntes in prædicatiône virgas tantùm sumerent, te supplici devotiône deposcimus, ut dignêris hos fustes bene ✠ dicere, quatenùs ii, qui illos in signum peregrinatiônis, & suorum corporum sustentatiônem sunt receptûri, tuæ cælestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut eis munimen

tuæ

tuæ benedictiònis percipere possint: ut quemadmodum virgam Aaron in templo Domini florentem, ad rebellium Judæorum perfidiam repellendam, benedixisti: ita & hos ab omnibus peccatis absolvas: quò in die judicii, ab impiis separati, in dextera sint per te collocandi. Per Dominum &c. ℟. Amen.

Deinde benedicit baculos his verbis.

Signaculum Dei Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat cælitùs super hos baculos, ut qui eos portaverint ab omnium inimicorum insidiis sint defensi. Per Christum &c.

Tunc Sacerdos baculos aspergit aquâ benedictâ, & eos peregrinis tradens dicit.

Accipite hos baculos, & pergite ad Ecclesias NN. Sanctorum NN. In nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Si unus peregrinus est, dicit Accipe, & sic reliqua in singulari numero.

Antiphona. Euntes ibant.

Psalmus 125.

IN convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc replêtum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatiône.

Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum illis: magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in Austro.

Qui seminant in lacrymis in gaudio metent: euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.

Venientes autem venient in exultatiône: portantes manipulos suos.

Gloria Patri, &c. Sicut erat &c.

Anti-

Antiphona. Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua. Kyrie eleiſ. Kyrie eleiſ. Kyrie eleiſ. Pater noſter. Secretò uſque ad ℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvos fac ſervos tuos. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Mitte eis, Domine, auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuêre eos. ℣. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimîci. ℣. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos. ℟. Quemadmodum ſperavimus in te. ℣. Domine exaudi oratiônem noſtram. ℟. Et clamor noſter ad te perveniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio I.

DEus infinitæ miſericordiæ, & majeſtatis immenſæ, quem nec ſpatia locorum, nec intervalla temporum ab his, quos tuêris, abjungunt: adeſto præſentibus famulis tuis in te ubîque fidentibus, & per omnem, per quam itûri ſunt viam, dux eis, & comes eſſe dignêris: nihil eis adverſitatis noceat, nihilque difficultatis obſiſtat; cuncta eis ſalubria, cuncta proſpera ſint, ut ſub ope dexteræ tuæ quidquid juſto expetierint deſiderio, celeri conſequantur effectu. Per Dominum noſtrum &c. ℟. Amen.

Oratio II.

OMnipotens ſempiterne Deus, humani generis reformator, qui Abrahæ puero tuo, ut iret de terra nativitatis ſuæ, & venîret in terram promiſſiônis, quam ei datûrum promiſeras, præcepiſti, nec non & populum Iſraeliticum in deſerto ad te adorandum multis prodigiis venîre feciſti: hos, quæſumus, ad ſanctarum Eccleſiarum limina te adorare pergentes, à periculis omnibus eruas, & à peccatorum nexibus ſolvas, & tu, qui es vera via in te fidentibus, eorum iter bene diſpône, ut inter omnes hujus ſæculi perturbatiônes tuo protegantur

tur auxilio. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde aspergit eos Sacerdos aquâ benedictâ, dicens.

Per aquæ aspersiônem det vobis omnipotens Deus ad eundum, & redeundum suam gratiam, & benedictiônem. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, & maneat semper. ℟. Amen.

Si verò peregrinatûri sunt Jerosolymam, primùm hujusce peregrinatiônis facultatem à Summo Pontifice impetrabunt; tum eâ impetratâ, confessi Sacram Communiônem sument, de rebus suis testamento statuent, litteras testimoniales, ut supra, habêbunt, & benedictiônem à proprio Parocho petent, qui illam impertiet, ut supra; præterquàm quòd, loco Psalmi, Deus in adjutorium, dicitur sequens, & loco item primæ, & secundæ orationis, dicuntur sequentes.

Psalmus 121.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, ut supra fol. 304.

Gloria Patri, & Filio, &c.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio I.

Deus, qui transtulisti patres nostros per mare rubrum, famulis tuis ad loca sancta pergentibus, in quibus salûtem nostram operatus es, benignus assiste: ut portum semper optabilem, cursumque tranquillum consequantur. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.

Oratio II.

Adesto, Domine, supplicatiônibus nostris, & viam famulorum tuorum in salûtis tuæ prosperitate dispône: ut inter omnes vitæ hujus varietates tuo semper protegantur

gantur auxilio. Per Dominum nostrum &c. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum &c. vt in rubricis generalibus.

CUm peregrini domum redeunt, ita servatur. Peregrini stant ante fores Ecclesiæ, & Sacerdos indûtus superpelliceo, & stolâ dicit.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
Antiphona. Auxilium meum.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos ad montes, ut supra fol. 303.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Antiphona. Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum, terram.
Antiphona. Ecce quàm bonum.

Psalmus 132.

SIcut unguentum in capite: quod descendit in barbam, in barbam Aaron.
Quod descendit in oram vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
Quia illic mandavit Dominus benedictiônem: & vitam usque in sæculum.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Antiphona. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.
Antiphona. Benefac Domine.

Psalmus 124.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur in æternum: qui habitat in Jerusalem.
Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui: ex hoc nunc, & usque in sæculum.
Quia non remittet Dominus virgam peccatorum: super sortem justorum.
Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas: benefac Domine bonis, & rectis corde.

Decli-

Declinantes autem ad obligationem addûcet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Antiphona. Benefac, Domine, bonis, & rectis corde. Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
Pater noster. Secretò usque ad
℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Benedicti qui veniunt in nomine Domini.
℟. Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum, & terram.
℣. Respice, Domine, in servos tuos, & in opera tua.
℟. Et dirige filios eorum.
℣. Domine exaudi oratiônem nostram.
℟. Et clamor noster ad te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio I.

QUæsumus omnipotens Deus, ut his famulis tuis, quos incolumes de sancto itinere venîre fecisti: quidquid tibi per carnis fragilitatem, sive per visum, vel auditum impudîcum, aut per colloquia otiôsa, sive aliis quibuscunque modis contra tuam justitiam commisêrunt, tu sanctissime Pater, misericorditer indulgeas, & dimittas eis, & illæsos ab omni impugnatiône diabolica custodias, & tuis semper devotè inhærêre mandatis concêdas.

Oratio II.

DA Domine, quæsumus, ut fidêles tui, quos post longas peregrinatiônes, & moras itineris, suæ patriæ reddidisti incolumes, in tua voluntate permaneant, & nihil ultra hostilitatis metuant, sed te protegente secûrâ mente tibi deserviant.

Oratio III.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatôris, majestatem tuam suppliciter exoramus: ut hos

›s famulos tuos de tua misericordia confidentes, cæ-
ſti protegas benignus auxilio, & aſſiduâ protectiône
›nſerves, ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentatio-
bus à te ſeparentur. Per Dominum noſtrum &c.
℟. Amen.
Dominus vobiſcum.
Et cum ſpiritu tuo.
ie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.
Benedicat, & exaudiat nos Deus. ℟. Amen.
Procedamus cum pace.
n nomine Chriſti.
Benedicamus Domino.
Deo gratias.
...nò aſpergit eos aquâ benedictâ dicens.
edicat vos omnipotens Deus, Pater, ✠ & Filius, ✠ &
›iritus ✠ Sanctus ℟. Amen.
›c peregrini Eccleſiam ingrediuntur, & devotione
ıâ peractâ, ad domum cum Dei benedictiône rever-
ıntur.

Benedictio muneris, quod offertur in Eccleſia.

Deus in adjutorium &c. ut ſupra in rubricis generali-
us.
Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Eus, cujus verbo, & potentiâ facta ſunt omnia, cujus
dono percipimus, quæ ad vitæ remedium poſſidemus,
ſupplices obnixis precibus rogamus: ut de ſede maje-
ıtis tuæ huic oblatiôni fidelium ſanctificator accêdas.
ıſcipe de manu famulorum tuorum munus oblatum,
ıod tuâ clementiâ benedictum ad uſus hujus ſanctua-
i maneat conſecratum: ſint hæc in conſpectu tuo li-

benter accepta, ſicut quondam Abel alumni tui, vel Melchiſedech tibi munera placuêrunt oblata. Et quia ad honôrem tui amôris Eccleſiam tuam ſummis nituntur decorare obſequiis, tu eis, Domine, magna pro parvis recompenſa, & devotiônem eorum accipias, peccata dimittas, fide eos repleas, indulgentiâ foveas, miſericordiâ protegas, adverſa deſtruas, proſpera concêdas, habeant in hoc ſæculo actiônis bonæ documentum, charitatis ſtudium, ſancti amôris affectum, & in futûro cum ſanctis Angelis adipiſcantur perpetuum regnum. Per Dominum noſtrum &c.

℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.

Poſtea aſpergantur aquâ benedictâ.

Benedictio ſeminis bombycum.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

Benedic Domine ✠ ſemen iſtud bombycum, quod tuâ benignitate procreare dignatus es: & præſta, ut opus eorum properêtur, augeaturque ad utilitatem eorum, qui tuâ cupiunt bonitate juvari. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, &c.

℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.

Poſtea illud aſpergit aquâ benedictâ.

Benedictio Sacerdotalium indumentorum facienda ab habente facultatem illa benedicendi.

℣. Deus in adjutorium &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ora-

Oratio I.

OMnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia, & Sacerdotalia, seu Levitica vestimenta ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum ad honôrem, & decôrem nominis tui fieri decrevisti, adesto propitius invocationibus nostris, & hæc indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratiâ tuâ, ingenti benedictiône per nostræ humilitatis servitium purificare, ✠ benedicere, ✠ & consecrare ✠ dignêris: ut divînis cultibus, & sacris mysteriis apta, & benedicta existant; his quoque sacris vestibus Pontifices, & Sacerdôtes, seu Levîtæ tui indûti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum munîti, & defensi esse mereantur, tuisque mysteriis aptè, & condignè servîre, & inhærêre, atque in his tibi placitè, & devôtè perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratio II.

DEus invictæ virtûtis triumphator, & omnium rerum creator, ac sanctificator, intende propitius preces nostras, & hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis, & Pontificalis gloriæ ministris tuis fruenda tuo ore proprio benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ dignêris: omnesque eis utentes tuis mysteriis aptos, & tibi in eis devotè, ac laudabiliter servientes gratos efficere dignêris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, &c.

Oratio III.

DOmine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus, & Levîtis in usum tabernaculi fœderis necessaria Moysen famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum replevisti: hæc vestimenta in usum, & cultum mysterii tui benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ dignêris; at-

 que

que miniſtros Altaris tui, qui ea induerint, ſeptiformis ſpiritus gratiâ dignanter repleri, atque caſtitatis ſtolâ, beatâ facias cum bonorum fructu operum miniſterii congruentis immortalitate veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde aſpergit ipſa indumenta aquâ benedictâ.

Benedictio mapparum, ſive linteaminum Altaris facienda ab habente facultatem illa benedicendi.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c. ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio I.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & hæc linteamina ſacri Altaris uſui præparata benedicere, ✠ & ſanctificare dignêris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oratio II.

DOmine Deus omnipotens, qui Moyſen famulum tuum ornamenta, & linteamina facere per quadraginta dies docuiſti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in uſum miniſterii, & tabernaculi fœderis: benedicere, ✠ ſanctificare, ✠ & conſecrare ✠ dignêris hæc linteamina ad tegendum, involvendumque Altare glorioſiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiſcum &c. ut in rubricis generalibus.

Deinde aſpergit ea aquâ benedictâ.

Bene-

Benedictio Corporalium facienda ab habente facultatem illa benedicendi.

℣. Deus in adjutorium meum intende, &c., ut in rubricis generalibus.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio I.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur; tribue, quæsumus, ut hoc linteâmen tuæ propitiatiônis benedictiône ✠ sanctificêtur ad consecrandum super illud Corpus, & Sanguinem Dei, & Domini nostri Jesu Christi Filii tui. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio II.

Omnipotens sempiterne Deus, benedicere, ✠ sanctificare, ✠ & consecrare ✠ dignêris linteâmen istud ad tegendum, involvendumque Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui. Qui tecum vivit, & regnat &c.

Oratio III.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictiônis infunde; ut per nostram benedictiônem ✠ hoc linteâmen sanctificêtur, & Corporis, ac Sanguinis Redemptôris nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratiâ efficiatur. Per eundem Dominum nostrum &c.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo, ut in rubricis generalibus.

Deinde aspergat ea aquâ benedictâ.

INSTRUCTIONES
PRO EXORCISTA

Ex Conciliis Provincial, Synodis Diœcef., & ex Rituali Romano PP. Pauli V. jussu edito desumptæ.

Nullus Sacerdos, Clericusve Sæcularis, aut Regularis, etiamsi Parochus sit, Exorcistæ officium usurpet, nisi specialiter ad id deputatus, approbatusque fuerit, obtentâ ab Archiepiscopo in scriptis facultate, cum secus facienti graves pœnæ impositæ sint.

Qui autem tam grave munus est suscepturus, eâ, quæ par est, pietate, prudentiâ, & vitæ integritate præditus esse debet, qui non suâ, sed divinâ fretus virtûte tam pium opus ex charitate constanter, & humiliter exequatur; atque itâ sit ab omni rerum humanarum cupiditate alienus, ut non modò quæstum fugiat, sed ne doni quidem nomine quidquam omnîno accipiat. Hunc præterea matûræ ætatis esse decet, & non solùm officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Ut verò suo munere rectè fungatur cum alia multa sibi utilia documenta ex probatis Auctoribus, & ex usu nosse studeat, tum hæc pauca magis necessaria diligenter observabit.

In primis ne facilè credat aliquem à Dæmone obsessum esse, sed perquîrat in energumeni, energumenæve vitam; ac mores; actiônes deinde, corporisque motus observet; & Medicum, si opus esse censuerit, adhibeat in consilium, ut intelligere planiùs possit, an quod ab illis agitur, fiat morbi alicujus, aut bilis atræ vi, an verò dissi-

c d.f mulan-

mulanter, an denique malorum spirituum obsidentium vexatiône.

Signa autem obsidentis Dæmonis potissima sunt: ignôtâ linguâ loqui, vel loquentem intelligere, distantia, & occulta patefacere: vires supra ætatis, & conditiônis natûram ostendere: graves, & insolitos dolôres, agitationesque, & contorsiônes corporis pati tum præsertim, cum fit exorcismus, quo cessante, eâ ferè cessant omnia: à divîno cultu, divinisque officiis, à Sacramentalibus, & Sacramentis, & sanctissimo præcipuè Altaris Sacrificio arcêri occultâ quadam vi, quamvis, dum mente constat obsessus, testètur optare se hæc omnia facere, atque iis interesse; & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, majôra sunt indicia. Hæc autem ut magis cognoscat, post unum, aut alterum exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore.

Advertat, quibus artibus improbi Dæmones utantur ad Exorcistam decipiendum; solent enim ut plurimùm fallaciter respondêre, & difficilè se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse à Dæmone vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omnîno esse liberatum; sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberatiônis. Aliquando etiam Dæmones ponunt quæcunque possunt impedimenta, ne infirmus se subjiciat Exorcismis, vel conantur persuadêre infirmitatem esse naturalem: interdum in medio exorcismi somno corripiunt obsessum, & ei visiônem aliquam ostendunt subtrahendo se, ut obsessus liberatus videatur. Aliqui ostendunt factum maleficium, & à quibus sit factum, & modum ad illud dissolvendum; sed caveat, ne ob hoc ullâ superstitiône, aut alio modo illicito utatur. Quandôque diabolus infirmum quiescere, & suscipere

 sanctis-

sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur. Denique innumerabiles sunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur Exorcista, cautus esse debet.

Et quoniam ex doctrîna salvatôris est quoddam genus Dæmoniôrum, quod non ejicitur, nisi in jejunio, & oratiône, his duôbus tamquam firmissimis præsidiis ad tam difficilem dimicatiônem se instruat.

Nec in profânis ædibus, locisque privatis hoc munus exerceat, sed in Ecclesia, loco aperto, & conspicuo, neque in qualibet Ecclesia, sed in iis solùm, quas certas Archiepiscopus statuerit. Verùm si energumenus fuerit ægrôtus, aut persôna nobilis, aut aliâ honestâ de causâ in domo privata exorcizari poterit.

Id verò quemadmodum inspectante multitudine, ita remôtis omnibus arbitris, faciendum usquam non est; decet enim cum viros aliquot ætâte graves, & spectatæ virtûtis, ac probitatis, tum unum, aut alterum ecclesiastici ordinis interesse.

Mulieri energumenæ cum exorcismum adhibet, id præstet duôbus ætate, vitâque probatis viris, totidemque, fœminis item probatis præsentibus, iisque omnibus, si fieri potest, energumenæ consanguineis, aut affinibus, à quibus illa teneatur, cum à dæmonio exagitatur. Mares autem alios præsentes adesse ne omnìno patiatur, nisi unum ecclesiastici ordinis hominem.

A mulieris obsessæ capite, humeris, manibusque contrectandis abstineat: Altari neque eam, neque energumenum quemquam impônat; nihil denique agat, quod adstantium oculos, animosque possit offendere.

Nec ante ortum, nec verò post occâsum solis quemquam ad exorcismum admittat; nec duos simul, sed unumquemque singillâtim, ac separâtim.

Energumenis verò exorcismum adhibêre ne incipiat, nisi illi

illi primùm confessi sint; eos propterea cohortêtur, ut omnis anteactæ vitæ peccata diligenti conscientiæ discussiône confiteantur. Videat item, an excommunicatiônis vinculo irretîti unquam fuerint, atque absolutiônem rite acceperint. Tum sæpe illos admoneat, ut oratiôni, & sanctis meditationibus, frequenti Sacramentorum usui ad Sacerdôtis arbitrium, pietatis studiis, atque exercitatiôni se dent. Ecclesias quoque, Reliquias Sanctôrum insignes certis diebus piè visitent, & jejunia saltem sextâ quaque feriâ ob dominicæ passiônis memoriam religiôsè amplectantur.

Moneatur præterea obsessus, ut tentatiônes suas omnes Exorcistæ patefaciat, & dum fit exorcismus, totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firmâ fide salûtem ab eo deposcat cum omni humilitate, & cum vehementiùs vexatur, patienter sustineat nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conspectu imaginem Christi Domini crucifixi: Reliquiæ quoque Sanctorum, ubi habêri possint, decenter, ac tutò colligatæ, & coopertæ ad pectus, vel caput obsessi reverenter admoveantur; sed caveatur, ne res sacræ indignè tractentur, aut illis à dæmone ulla fiat injuria. Sanctissima verò Eucharistia super caput obsessi, aut aliter ejus corpori minimè admoveatur ob irreverentiæ periculum.

Exorcista ne vagêtur in multiloquio, aut supervacaneis, vel curiôsis interrogationibus, præsertim de rebus futûris, & occultis ad suum munus non pertinentibus: sed jubeat immundum spiritum tacêre, & ad interrogata tantùm respondêre, neque ei credatur, si dæmon simularet se esse animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ autem interrogatiônes sunt, de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, de causa, & aliis hujusmodi. Cæteras autem dæmonis

monis nugas, risus, & ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, & circumstantes admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum, sed potiùs humiliter, & enixè Deum pro eo precentur.

Ne aliis verò exorcismis, precibus, ritibusue ad sui muneris functiônem utatur, nisi ad hujus ritualis libri, vel alterius judicio Archiepiscopi comprobati ratiônem præscriptam, cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.

Exorcismos faciat, ac legat magna cum humilitate, ac fide, simulque cum imperio, & auctoritate, memor potestatis, quam á Domino accêpit, expellendi dæmones: & cum viderit malum spiritum valde torquêri, tunc magis instet, & urgeat: & quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commovêri, aut pungi, aut alicubi tumôrem apparêre, ibi faciat signum crucis, & aquâ benedictâ aspergat, quam inter exorcizandum in promptu habeat.

Observet etiam, ad quæ verba dæmones magis conturbentur, & contremiscant, & ea sæpius inculcet, & repetat, & quando pervenerit ad comminatiônem, eam iterum, & sæpius proferat, semper pœnam augendo, ac si videat se proficere, in ipsa persevêret per duas, tres, quatuor horas, & ampliùs, prout poterit, donec victoriam consequatur.

Jubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat, vel si alibi extra corpus fuerint, ea revêlet, & inventa comburantur.

Si verò obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat à peccatis, ne occasiônem dæmoni præbeat in ipsum revertendi, ne fiant novissima hominis illìus pejora prioribus.

DE

DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONE.

SAcerdos, five alius Exorcifta rite confeffus, aut faltem corde peccata fua deteftans, peracto, fi commodè fieri poteft, fanctiffimo Miffæ Sacrificio, divinóque auxilio piis precibus implorato, fuperpelliceo, & ftolâ violaceâ, cujus extrêma pars ad obfeffi collum circumponatur, indûtus, & coram fe habens obfeffum ligatum, fi fuerit periculum, eum, fe, & adftantes communiat figno crucis, & afpergat aquâ benedictâ, & genibus flexis, aliis refpondentibus, dicat Litanîas, quæ fupra habentur, ubi de Ordine miniftrandæ extremæ unctiônis pag. 194.

In fine Antiph. Ne reminifcaris Domine delicta noftra, vel parentum noftrorum, neque vindictam fumas de peccatis noftris.

Pater nofter. Secretò ufque ad

℣. Et ne nos indûcas in tentatiônem.

℟. Sed libera nos à malo.

Pfalmus 53.

Deus in nomine tuo falvum me fac, ut fupra pag. 348.

℣. Salvum fac fervum tuum.

℟. Deus meus fperantem in te.

℣. Mitte ei auxilium de fancto.

℟. Et de Sion tuêre eum.

℣. Nihil proficiat inimîcus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non appônat nocêre ei.

℣. Efto ei, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimîci, & perfequentis.

℣. Domine exàudi oratiônem noftram.

℟. Et clamor nofter ad te perveniat.

℣. Dominus vobifcum. ℟. Et cum fpiritu tuo.

Ora-

Oratio I.

DEus, cui proprium est miserêri semper, & parcere, suscipe deprecatiônem nostram: ut hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam delictorum catêna constringit miseratio tuæ pietatis absolvat.

Oratio II.

DOmine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui illum refugam tyrannum, & apostatam gehennæ ignibus deputasti: quique Unigenitum tuum in hunc mundum misisti, ut illum rugientem contereret; velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem, & similitudinem tuam creatum à ruìna, & dæmonio meridiano. Da, Domine, terrôrem tuum super bestiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum dracônem pugnare fortissimè, ne contemnat sperantes in te, & ne dicat sicut in Pharaône, qui dixit, Deum non novi, nec Israel dimitto. Urgeat illum dextera tua potens discedere à famulo tuo N. vel à famula tua N. ✠ ne djutiùs præsûmat captîvum tenêre, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in filio tuo redemisti. Qui tecum vivit, & regnat &c. ℟. Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum.

PRæcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, & omnibus sociis tuis hunc Dei famulum, vel hanc Dei famulam obsidentibus, ut per mysteria Incarnatiônis, Passiônis, Resurrectiônis, & Ascensiônis Domini nostri Jesu Christi, per missiônem Spiritus sancti, & per adventum ejusdem Domini nostri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum aliquo signo; & ut mihi Dei ministro, licèt indigno, prorsus in omnibus obedias: neque hanc creatûram Dei, vel circumstantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Deinde

Deinde legantur super obsessum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

HÆc dicens signat se, & obsessum in fronte, ore, & pectore, si mas est: si verò fœmina dextrâ tantùm benedicit, nullatenus illam tangendo: Idem servatur cum hujusmodi signa in decursu exorcismorum facienda præscribuntur. Caveat insuper Exorcista, ne mulieris energumenæ caput ullo modo tangat, cum juxta rubricas manum dextram illi impônit.

Initium sancti Evangelii secundùm Joannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhibêret de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhibêret de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognôvit. In propria venit, & sui eum non recepêrunt. Quotquot autem recepêrunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

℟. Deo gratias.

Lectio

Lectio sancti Evangelii secundùm Marcum.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creatûræ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocêbit: super ægros manus impônent, & bene habêbunt.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes ad Jesum: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Vidêbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiônes, & super omnem virtûtem inimîci, & nihil vobis nocêbit; veruntamen in hoc nolite gaudêre, quia spiritus vobis subjiciuntur, gaudête autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Erat Jesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia: & alii tentantes signum de cælo quærêbant ab eo. Ipse autem, ut vidit cogitatiônes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divîsum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum divîsus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervênit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus custòdit atrium suum, in pace sunt

ea,

ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidêbat, & spolia ejus distribuet.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Christe Jesu, Deus, & Dominus universæ creatûræ, qui sanctis Apostolis tuis dedisti potestatem calcandi super serpentes, & scorpiônes, qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere, dæmones effugate: cujus virtûte motus tamquam fulgur de cælo satanas cecidit: tuum sanctum nomen cum timôre, & tremôre suppliciter deprecor, ut indignissimo mihi servo tuo, datâ veniâ omnium delictorum meorum, constantem fidem, & potestatem donare dignêris: ut hunc crudêlem dæmonem, brachii tui sancti munitus potentiâ fidenter, & secûrus aggrediar, per te, Jesu Christe, Domine Deus noster, qui ventûrus es judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde muniens se, & obsessum signo Crucis, circumpositâ parte stolæ ad collum ejus, & dexterâ manu suâ capiti ejus impositâ constanter, & magna cum fide dicat ea, quæ sequuntur.

℣. Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ.

℟. Vicit leo de tribu Juda, radix David.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, invoco nomen sanctum tuum, & clementiam tuam supplex exposco,

poſco, ut adverſus hunc, & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plaſma tuum, mihi auxilium præſtare dignêris. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Exorciſmus.

EXorcizo te, immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio adverſarii, omne phantaſma, omnis legio in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ✠ eradicare, & effugare ab hoc plaſmate Dei. ✠ Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cælorum in inferiora terræ demergi præcêpit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis, & tempeſtatibus imperavit. Audi ergo, & time Satana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, juſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolôrum: quid ſtas, & reſiſtis, cum ſcias, Chriſtum Dominum vires tuas perdere? illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Joſeph venundatus, in agno occîſus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.

Sequentes Cruces fiant in fronte obſeſſi. Recêde ergo in nomine Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti: da locum Spiritui ſancto per hoc ſignum ✠ Crucis Jeſu Chriſti Domini noſtri. Qui cum Patre, & eodem Spiritu ſancto vivit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem noſtram.

℟. Et clamor noſter ad te perveniat.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DEus conditor, & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formaſti: reſpice ſuper hunc famulum tuum N. vel hanc famulam tuam N, qui, vel quæ dolis immundi ſpiritus appetitur, quem vetus adverſa-

versarius, antiquus hostis terræ, formidinis horrôre circumvolat; & sensum mentis humanæ stupôre defigit, terrôre conturbat, & metu trepidi timôris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacesque ejus insidias amove: procul impius tentator aufugiat: sit nominis tui signo ✠ (in fronte.) famulus tuus munîtus, & in animo tutus, & corpore.

Tres Cruces sequentes fiant in pectore dæmoniaci. Tu pectoris ✠ hujus interna custodias. Tu viscera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes: in anima adversatrîcis potestatis tentamenta evanescant. Da Domine, ad hanc invocatiônem sanctissimi Nominis tui, gratiam, ut qui hucusque terrêbat, territus aufugiat, & victus abscêdat, tibîque possit hic famulus tuus & corde firmatus, & mente sincêrus debitum præbêre famulatum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat, &c. ℟. Amen.

Exorcismus.

ADjûro te, serpens antîque, per judicem vivorum, & mortuorum, per factôrem tuum, per factôrem mundi, per eum, qui habet potestatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N., qui ad Ecclesiæ sinum recurrit, cum metu, & exercitu furôris tui festînus discêdas. Adjûro te iterum, ✠ (in fronte) non meâ infirmitate, sed virtûte Spiritus sancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N., quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede igitur, cede non mihi, sed ministro Christi. Illius enim te urget potestas, qui te Cruci suæ subjugavit. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✠ (in pectore), sit tibi formîdo imâgo Dei ✠ (in fronte). Non resistas, ne morêris discedere ab homine isto, quoniam complacuit Christo in homine habitare. Et ne contemnendum putes,

dum me peccatôrem nimis esse cognoscis. Imperat tibi Deus. ✠ Imperat tibi Majestas Christi. ✠ Imperat tibi Deus Pater. ✠ Imperat tibi Deus Filius. ✠ Imperat tibi Deus Spiritus sanctus. ✠ Imperat tibi Sacramentum Crucis. ✠ Imperat tibi fides Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & ceterorum Sanctorum. ✠ Imperat tibi Martyrum sanguis. ✠ Imperat tibi continentia Confessorum. ✠ Imperat tibi pia Sanctorum, & Sanctarum omnium intercessio. ✠ Imperat tibi christianæ fidei mysteriorum virtus. ✠ Exi ergo transgressor. Exi seductor, plene omni dolo, & fallaciâ, virtûtis inimîce, innocentium persecûtor. Da locum dirissime; da locum impiissime; da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis, qui te spoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua diripuit, qui te projêcit in tenebras exteriôres, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente reniteris? quid temerarie detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cujus statûta transgressus es. Reus es Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumpsisti. Reus es humano generi, cui tuis persuasionibus mortis venênum propinasti.

Adjûro ergo te, draco nequissime, in nomine Agni ✠ immaculati, qui ambulavit super aspidem, & basiliscum, qui conculcavit leônem, & dracônem, ut discêdas ab hoc homine ✠ (fiat in fronte) discêdas ab Ecclesia Dei ✠ (fiat signum Crucis super circumstantes) contremisce, & effuge, invocato nomine Domini illîus, quem inferi tremunt, cui Virtûtes cælorum, & Potestates, & Dominatiônes subjectæ sunt; quem Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Verbum ✠ caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgine. Imperat tibi Jesus ✠ Nazarênus, qui te, cum discipulos ejus con-

contemneres, elisum, atque prostratum exire præcepit ab homine; quo præsente, cum te ab homine separasset, nec porcorum gregem ingredi præsumêbas. Recêde ergo nunc adjuratus in nomine ✠ ejus ab homine, quem ipse plasmavit. Durum est tibi velle resistere. ✠ Durum est tibi contra stimulum calcitrare. ✠ Quia quantò tardiùs exis, tantò magis tibi supplicium crescit; quia non homines contemnis, sed illum, qui dominatur vivorum, & mortuorum, qui ventûrus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi oratiônem nostram.

℟. Et clamor noster ad te perveniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post labôrem, quia non est alius Deus præter te, nec esse poterit verus, nisi tu Creator cæli, & terræ, qui verus Rex es, & cujus regni non erit finis; humiliter majestati gloriæ tuæ supplico, ut hunc famulum tuum de immundis spiritibus liberare dignêris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus.

ADjûro ergo te, omnis immundissime spiritus, omne phantasma, omnis incursio satanæ, in nomine Jesu Christi ✠ Nazarêni, qui post lavâcrum Jordânis in desertum ductus est, & te in tuis sedibus vicit; ut quem ille de limo terræ ad honôrem gloriæ suæ formavit, tu desinas impugnare: & in homine miserabili non humanam fragilitatem, sed imaginem omnipotentis Dei contremiscas. Cede ergo Deo, ✠ qui te, & malitiam tuam

in Pharaône, & in exercitu ejus per Moysen servum suum, in abyssum demersit. Cede Deo, ✠ qui te per fidelissimum servum suum David de Rege Saûle spiritualibus canticis pulsum fugavit. Cede Deo, ✠ qui te in Juda Iscariôte proditôre damnavit. Ille enim te divînis ✠ verberibus tangit, in cujus conspectu cum tuis legionibus tremens, & clamans dixisti: Quid nobis, & tibi, Jesu Fili Dei Altissimi? Venisti huc ante tempus torquêre nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dictûrus est impiis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Tibi enim, impie, & angelis tuis vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi, & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii, tu auctor incestus, tu sacrilegiorum caput, tu actiônum pessimarum magister, tu hæreticorum doctor, tu totius obscenitatis inventor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ scelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum suum esse voluit Deus. Sed quid diutiùs moraris hic? Da honôrem Deo Patri omnipotenti, ✠ cui omne genuflectitur. Da locum Domino Jesu Chri ✠ sto, qui pro homine sanguinem suum sacratissimum fudit. Da locum Spiritui ✠ sancto, qui per beatum Apostolum suum Petrum te manifestè stravit in Simône mago; qui fallaciam tuam in Anania, & Saphira condemnavit; qui te in Herôde rege honôrem Deo non dante percussit; qui te in mago Elyma per Apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythonissa verbo imperans exîre præcêpit. Discêde ergo nunc, ✠ discêde ✠ seductor. Tibi erêmus sedes est. Tibi habitatio serpens est: humiliare, & prosternere. Jam non est differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat citò, & ignis ardêbit ante ipsum, & præcêdet, & inflammabit in circuitu inimi-

inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridêre. Ille te ejicit, cujus oculis nihil occultum eſt. Ille te expellit, cujus virtûti univerſa ſubjecta ſunt. Ille te excludit, qui tibi, & angelis tuis præparavit æternam gehennam; de cujus ore exîbit gladius acûtus; qui ventûrus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti poſſunt, donec obſeſſus ſit omninò liberatus.

Juvabit præterea plurimùm hæc, quæ infra notantur, ſuper obſeſſum devotè dicere, ſæpeque repetere. Pater noſter &c. Ave Maria &c. Credo in Deum &c.

Canticum Beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1.

MAgnificat: anima mea Dominum.
Et exultavit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.
Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generatiônes.
Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen ejus.
Et miſericordia ejus à ſæculo, & in ſæculum: ſuper timentes eum.
Fecit potentiam in brachio ſuo: diſſipavit ſuperbos mente cordis eorum.
Depoſuit potentes de ſede: & exaltavit humiles.
Eſurientes ſatiavit bonis: & divites dimîſit inanes.
Suſcêpit Iſrael puerum ſuum: memor miſericordiæ ſuæ.
Sicut locûtus eſt ad patres noſtros: Abraham, & ſemini ejus uſque in æternum.
Gloria Patri, & Filio, &c.

Canticum Zachariæ Prophêtæ. Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitavit, & fecit redemptiônem plebis ſuæ.
Et erexit nobis cornu ſalûtis: in domo David pueri ſui.
Sicut locûtus eſt per os ſanctorum Prophetarum ſuorum: qui ab ævo ſunt.

Dare salutare de inimicis nostris: & de manu omnium, qui odêrunt nos.
Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorare testamenti sancti sui.
Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum datûrum se nobis: ut sine timôre de manu inimicorum nostrorum liberati.
Serviamus illi in sanctitate & justitia: coram ipso omnibus diêbus nostris.
Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.
Ad dandam scientiam salûtis plebi ejus: in remissiônem peccatorum eorum.
Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.
Illuminare eos, qui in tenebris, & umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Symb. S. Athanasii. Quicunque vult salvus esse: &c. pag. 211.
Psal. 90. Qui habitat in adjutorio Altissimi: &c. pag. 219.
Psal. 67. Exurgat Deus, & dissipêntur inimîci ejus: &c. pag. 325.
Psal. 53. Deus in nomine tuo salvum me fac: &c. pag. 348.
Psal. 117. Confitemini Domino, quoniam bonus: &c. p. 221.
Psal. 34. Judica, Domine, nocentes me: &c. pag. 217.
Psal. 30. In te, Domine, speravi: &c. pag. 215.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti. Longè à salûte mea: verba delictorum meorum.
Deus meus, clamabo per diem ad te, nec exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.
Tu autem in sancto habitas laus Israel, in te speravêrunt patres nostri: speravêrunt, & liberasti eos.
Ad te clamavêrunt, & salvi facti sunt: in te speravêrunt, & non sunt confusi.

Ego.

E go autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Omnes, qui conſpiciêbant me, aſpernabantur me: locûti ſunt labiis, & movêrunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui abſtraxiſti me de ventre: ſpes mea ab uberibus matris meæ.

In te projectus ſum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Ne diſcêdas à me, quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt, qui adjuvet.

Circumdedêrunt me vituli multi: tauri pingues obſedêrunt me.

Aperuêrunt in me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens: ſicut aqua effuſa ſunt, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens: in medio ventris mei.

Exaruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxiſti me.

Quoniam circumdedêrunt me canes multi: concilium malignantium obsêdit me.

Fodêrunt manus meas, & pedes meos: dinumeravêrunt omnia oſſa mea.

Ipſi verò conſideravêrunt, & conſpexêrunt me, divisêrunt ſibi veſtimenta mea: & ſuper veſtem meam misêrunt ſortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defenſiônem meam inſpice.

Eripe à framea animam meam: & de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leônis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.

Qui timêtis Dominum, laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecatiônes pauperum.

Neque avertit faciem suam à me: & cum clamarem ad eum, exaudìvit me.

Apud te laus mihi in Ecclesia magna: vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum.

Manducabunt pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum, qui requìrunt eum.

Vivent corda eorum in sæculum sæculi: reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ.

Et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium, quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.

Manducavêrunt, & adoravêrunt omnes divites terræ: in conspectu ejus procident omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: & semen meum serviet ipsi.

Et annunciabitur Domino generatio ventûra: & annunciabunt cæli justitiam ejus populo, qui nascêtur, quem fecit Dominus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversùm me: multi dicunt animæ meæ, non est salus illi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dominum clamavi: & exaudìvit me de monte sancto suo.

Ego dormìvi, & requiêvi: surrexi, quoniam Dominus suscipiet me.

Non timêbo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salva me, Deus meus.

Quo-

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sinè causa: dentes peccatórum contrivisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatóres intendêrunt arcum: paravêrunt sagittas suas in pharetra.

Ut sagittent in obscûro rectos corde, quoniam quæ tu perfecisti, ipsi destruxêrunt: justus autem quid fecit?

Dominus in Templo sancto suo: Dominus in cælo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluit super peccatóres laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellæ pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus justitiam dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Psalmus 12.

USquequo, Domine, oblivisceris me in finem? quousque avertis faciem tuam à me?

Quandiu ponam consilium in anima mea: dolôrem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: ego autem in tua misericordia sperabo.

Exultavit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui

qui bona tribuit mihi : & psallam nomini Domini altissimi.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Oratio post liberationem.

ORamus te, Deus omnipotens, ut spiritus iniquitatis amplius non habeat potestatem in hoc famulo tuo N., vel famula tua N., sed ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum, vel in eam, Domine, te jubente, bonitas, & pax Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti sumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum est. Qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum

℟. Et cum spiritu tuo. Kyr. el. Kyr. el. Kyr. el.

℣. Benedicat, & exaudiat nos Deus.

℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. In nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.



PRECES

PRECES

Dicendæ in principio Congregatiônis.

Pater noster. Secretò usque ad
℣. Et ne nos inducas in tentatiônem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuêre nos.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

MEntes nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra operatio, & oratio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiriritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

In fine Congregatiônis.


℣. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo tuo, quod est in Jerusalem.
Pater noster. Secretò usque ad
℣. Et ne nos inducas in tentatiônem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

PRæsta nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: ut quæ, te auctore, facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum

Filium

Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Kyr. el. Kyr. el. Kyr. el.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.



Ritus

Ritus ſervandus, quum ſolemnis benedictio impertienda eſt cum Sanctiſſimo Sacramento.

SAcerdos, ad quem ſpectat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Altari adorandum proponere, & cum eo benedictiônem Populo impertîri, lotis priùs manibus, (quod ſemper ſervandum eſt ex Synodo XI. ante, & poſt tractatiônem Euchariſtiæ) paratus Stolâ, & Pluviali rubri colôris, tecto capite, accêdit à Sacriſtia ad Altare, cujus ornatus decens ſit, ac religioſus, ibîque, capite detecto, paulum tacitus flexis genibus orat; tùm ſurgit, & impoſito, ac benedicto incenſo in thuribulo, aſcendit ad Altare, genuflectit, aperit Tabernaculum, iterum genuflectit, & retrahens ſe aliquantulùm versùs cornu Evangelii, ne terga vertat Sanctiſſimo Sacramento, deſcendit in planum Chori, ibîque genuflexus in infimo Altaris gradu ter Sanctiſſimum Sacramentum incenſat, profundâ inclinatiône eîdem Sacramento ante, & poſt thurificatiônem exhibitâ.

His peractis, iterum aſcendit ad Altare, genuflectit, extrahit Oſtenſorium, illudque ſuper corporali in medio Altaris explicato collocat; rurſus genuflectit, claudit Tabernaculum, detegit Oſtenſorium, quod deinde ſuper Throno in medio Altaris quàm decentiſſimè apparato reverenter expônit, pallâ corporali ibîdem ſuppoſitâ, & repetitâ genuflexiône, deſcendit in planum Chori, genuflectit in infimo gradu, & dicuntur Litaniæ, ut mox infra.

Quòd ſi Thronus ita emineat, ut gradu ligneo opus ſit ad ſacram Euchariſtiam inibi exponendam, tunc Sacerdos, collocato Oſtenſorio ſuper Corporali in medio Altaris explicato, eôque, ut ſupra, detecto, retrahit ſe aliquantulùm versùs alterutrum cornu, expectans quoad gradus

ligneus,

ligneus, seu scabellum admoveatur. Quo firmiter admôto, iterum genuflectit versùs Sanctiss. Sacramentum, & ascendens super prædictum gradum collocat Ostensorium super Throno. Mox descendit è gradu ligneo, seu scabello, quod statim removêtur, iterum genuflectit, & retrahens se versùs cornu Evangelii descendit in planum Chori. Hìc autem est cavendum, ne Thronus ita altus, ac eminens sit, ut Sacerdos, vel Diaconus, aut alii cogantur ascendere super Altare, & ei pedes superponere, cum ibidem Sanctissimum Sacramentum est collocandum, hoc enim indecens omnìno videtur, & indecôrum. Ita igitur dispôni debet, ut ad illum facilis sit ascensus citra quamcunque indecentiam.

Quamvis autem prima thurificatio hìc innuatur facienda antequam Sanctissimum Sacramentum è Tabernaculo majòri depromatur, aperto ejusdem Tabernaculi Ostiolo; permittitur tamen, ut fiat etiam postquam Sanctissimum Sacramentum è præfato Tabernaculo majòri fuerit extractum. Et tunc, imposito, & benedicto incenso in thuribulo, Sacerdos ascendit ad Altare, genuflectit, aperit Tabernaculum, iterum genuflectit, extrahit Ostensorium, quod super Corporali in medio Altaris explicato repônit, iterum genuflectit, & clauso Tabernaculo, ac detecto Ostensorio, factâque rursus genuflexione, descendit in planum Chori, ubi genuflexus in infimo Altaris gradu ter Sanctissimum Sacramentum thurificat. Mox surgit, ascendit ad Altare, genuflectit, iisque servatis, quæ superiùs traduntur, Sanctissimum Sacramentum super Throno reverenter expônit, ac deinde repetitâ genuflexione, descendit in planum Chori, & genuflectit in infimo gradu Altaris.

His absolûtis, dicuntur genibus flexis Litaniæ Sanctorum, exceptis Sabbatis, Pervigiliis, ac Festivitatibus Beatæ Marìæ Virginis, in quibus dicuntur Litanìæ ejusdem

dem Beatæ Mariæ Virginis, vel nisi aliter contingat à Superiôre imperari.

Post Litanîas Sacerdos surgit, & junctis manibus dicit in tono ℣. DOMINUS VOBISCUM. ℟. ET CUM SPIRITU TUO. Deinde junctis adhuc manibus canit Oratiônem de Sanctissimo Sacramento, videlicet, DEUS, QUI NOBIS &c., & subjungit alias Oratiônes temporum, calamitatumque ratiôni ex sanctæ Matris Ecclesiæ instittûto accommodatas, vel à Superiôre præscriptas, ita tamen, ut ultima tantùm concludatur. Subdit deinde ℣. DOMINUS VOBISCUM. ℟. ET CUM SPIRITU TUO, ter KYRIE. BENEDICAT, ET EXAUDIAT &c. PROCEDAMUS &c. BENEDICAMUS &c.

Si verò contingat, ut in quibusdam Ecclesiis per aliquot continuos dies, puta per triduum, vel octiduum de Superiôris licentia, aut mandato hujusmodi functio peragatur, tunc ultimâ tantùm die concluditur cum PROCEDAMUS &c., ceteris autem præcedentibus diêbus concluditur cum DOMINUS VOBISCUM, ter KYRIE, & BENEDICAMUS DOMINO.

Idipsum servatur in iis Ecclesiis, in quibus item Superiôris permissu impertîri solet benedictio cum Sanctissimo Sacramento aliquo determinato Festivitatum numero, V. G. ab Inventiône usque ad Exaltatiônem Sanctæ Crucis, tunc etenim ultimâ tantùm Festivitate concluditur cum PROCEDAMUS &c.

At in iis Ecclesiis, in quibus Superior concêdit, ut certis quibusdam Hebdomadæ diêbus, puta singulis Dominicis, vel Sabbatis, seu determinatis Solemnitatibus, aut Festis per annum recurrentibus, solemnem hanc benedictiônem Populo Sacerdos elargiatur, tunc nunquam concluditur cum PROCEDAMUS; sed semper cum DOMINUS VOBISCUM, ter KYRIE, BENEDICAMUS DOMINO.

Quòd

Quòd si hujusmodi Oratio ante Sanctissimum Sacramentum publicæ venerationi in Altari expositum instituatur, vel ad ingruentes calamitates avertendas, vel ad aliquod beneficium à Deo Opt. Max. implorandum, Litaniis Sanctorum absolutis, statim dicuntur Preces, quæ in Officio feriali post Tertiam recitantur, cum Psal. 50. MISERERE MEI DEUS: SECUNDUM MAGNAM &c., & GLORIA PATRI in fine. Dicto autem DOMINE AVERTE &c. genibus flexis, canitur stando DOMINUS VOBISCUM cum Orationibus, ac tandem concluditur juxta regulam superiùs traditam. Si verò contingat, ut dicantur Litaniæ beatæ Mariæ Virginis, tunc prædictæ Preces omittuntur, & statim post Litanias, canuntur Orationes.

Dicto BENEDICAMUS DOMINO, Sacerdos Officium faciens stans inchoat TANTUM ERGO SACRAMENTUM, Clero prosequente; interim Sacerdos genuflectit, accipit thuribulum, & incensat Sanctissimum Sacramentum. Ubi verò consuetudo viget, ut prædictum hymnum Cantores inchoent, & prosequantur, Sacerdos, dicto BENEDICAMUS DOMINO, statim genuflectit, & incensat, ut supra.

Sub finem hymni Sacerdos ascendit ad Altare, genuflectit, depônit reverenter Sanctissimum Sacramentum è Throno super Altare, iterum genuflectit, accipit velum oblongum humerale colòris rubri, quod vulgò Continentiam dicunt, eòque tectis humeris, brachiisque, sumit Tabernaculum gestatorium utràque manu eòdem velo copertà, sinistrà pedem tenens, dexterà nodum ipsius Tabernaculi, ac stans versùs Altare dicit in tono: BENEDICAT VOS OMNIPOTENS DEUS. Mox convertit se ad Populum per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, tenens Ostensorium ante pectus, tum elevans illud decenti morà non supra caput, sed tantùm ad oculos, dicit,

dicit, PATER, & eòdem modo illud demittens aliquantulùm infra pectus dicit, & FILIUS, mox iterum rectà attollit usque ad pectus, & deinde ad sinistrum humerum ducit dicens, & SPIRITUS, statimque redûcens ad dexterum subdit, SANCTUS. Tum se convertens ad Altare per eam partem, quæ respicit cornu Evangelii, & sic circulum perficiens Sanctissimum Sacramentum in medio Altaris collocat, depônit velum humerale, aperit Tabernaculum, genuflectit, repônit in Tabernaculo majôri Ostensorium velo contectum, & repetità genuflexiône, descendit in planum Chori, advertens, ne terga vertat Sanctissimo Sacramento, ibìque genuflexus in infimo gradu ter Sanctissimum Sacramentum thurificat. Interim canitur Psall. O SACRUM CONVIVIUM, vel O SALUTARIS HOSTIA. Mox ascendit ad Altare, genuflectit, claudit Tabernaculum, iterum genuflectit, descendit in planum Chori, ubi factà iterum genuflexiône, tecto capite recêdit in Sacristìam, ibìque, lotis manibus, sacras vestes depônit.

Quoniam verò in aliquibus Ecclesiis sacræ huic Functiôni inserviunt Diaconus, & Subdiaconus sacris vestibus uniuscujusque Ordini correspondentibus indûti, Manipulo tamen excepto, ideo hìc traduntur munia ad utrumque ex prædictis Ministris pertinentia. In accessu à Sacristìa ad Altare, & in recessu ab Altari ad Sacristìam Diaconus incêdit à dextris, Subdiaconus verò à sinistris Sacerdôtis, qui solus caput tegit. Ad Diaconum spectat ministrare naviculam, ad Subdiaconum thuribulum sustentare, cum Sacerdos thus in idem thuribulum immittit. Item Diaconi officium est tradere thuribulum Sacerdôti, quoties thurificandum est Sanctissimum Sacramentum, exponere Ostensorium, è Throno super Altare demittere, idemque reponere, claudere Tabernaculum, ac tandem canere PROCE-

DAMUS &c., quatenus canendum ſit. Cum autem Diaconus aſcendit ad Altare, & ab eôdem deſcendit, ſemper incêdit versùs cornu Epiſtolæ.

Omnia munia ad Diaconum pertinentia obîre poteſt etiam Sacerdos Superpelliceo, & Stolâ rubrâ indûtus.

Porro Sacerdos hujuſmodi functiônem peragens cum prædictorum Miniſtrorum aſſiſtentia, poteſt accipere velum humerale in plano Chori, antequam ad Altare aſcendat, ibîdemque illud deponere.

Si verò Sanctiſſimum Sacramentum in Altari ſit expoſitum, antequam Sacerdos ad Chorum accêdat, tunc ſtatim in ipsômet Chori ingreſſu Sacerdos caput detegit, & poſtquam aliquantulùm genuflexus oraverit, ſtans impônit incenſum in thuribulo, omiſsâ tamen benedictiône. Cetera autem peraguntur, ut ſupra.



Ritus

Ritus ſervandus in Proceſſionibus Sanctiſſimi Sacramenti, & in expoſitióne ejuſdem occaſióne Oratiónis quadraginta horarum.

PRoceſſio cum Sanctiſſimo Sacramento, quæ ſingulis menſibus ſtatà Dominicà tertià agenda eſt, ut ſancitur in Synod. XI., habeatur in Eccleſiis tum Collegiatis, tum Parochialibus ante Miſſam, quam Conventualem vocant, poſtquam Celebrans cum Miniſtris ad Altare pervenerit.

Sed antequam ejuſmodi Proceſſio inchoëtur, hæc, ut infra, apparentur, atque diſponantur. Baldachìnum, ſeu Umbella colôris rubri, & deſtinentur qui ejuſdem haſtas deferant: Cereoſtata, vel Funalia geſtanda à Clericis, quibus deficientibus, ſuppleant aliqui ex Confratribus, ſeu Diſciplinatis; & tandem Candelæ pro Clero, & Populo.

His, aliiſque ad ſacram hanc actiónem neceſſariis rite diſpoſitis, atque ordinatis, Celebrans indûtus Albâ, Cingulo, Amictu, Stolâ, & Pluviali colôris, quem Officium, & Miſſa requìrit, prælatà Cruce, ut moris eſt, duôbus luminibus candelâbris, ceroferariiſve infixis ad eandem adhibitis, & per Acolythos delatis, quos alii item Clerici thuribulum, & naviculam portantes proximè ſequuntur, accêdit à Sacriſtìa ad Altare, ubi poſtquam genibus flexis devotè oraverit, ſurgit, & incenſum in thuribulum cum benedictiône impônit: aſcendit deinde ad Altare, genuflectit, aperit Tabernaculum, & repetità genuflexiône, extrahit Oſtenſorium, quod ſuper corporali in medio Altaris explicato repônit, iterum genuflectit, & clauſo Tabernaculo, ac detecto Oſtenſo-

rio, exhibitâ rursus reverentiâ cum genuflexiône, advertens, ne terga vertat Sanctissimo Sacramento descendit in planum Chori, ubi genuflexus in infimo gradu Altaris accipit thuribulum à Diacono sacris vestibus Ordini suo correspondentibus indûto, quatenus adsit, aliôquin ab alio Sacerdôte, seu Clerico, & ter Sanctissimum Sacramentum thurificat, interim canitur à Clero Antiph. O SACRUM CONVIVIUM, vel Organa graviôri, & dulciôri sono pulsantur.

Prima hæc thurificatio adhibêri poterit Sanctissimæ Eucharistiæ adhuc in Tabernaculo reconditæ, aperto tamen Ostiolo, ut innuitur in præcedenti instructiône.

His absolûtis, Celebrans surgit, canit. ℣. DOMINUS VOBISCUM. ℟. ET CUM SPIRITU TUO. Deinde Clerus statim inchoat, & prosequitur hymnum PANGE LINGUA &c., seu VERBUM SUPERNUM &c., aut alias religiôsas preces ex ritu, atque institutiône Ecclesiæ huic Celebritati accommodatas. Interim Celebrans, sumpto velo oblongo humerali, quod Continentia appellatur, cujus color idem sit ac ille, qui pro Stola, & Pluviali fuit assignatus, ascendit ad Altare, genuflectit, mox velatis manibus accipit reverenter Ostensorium, dexterâ nodum tenens, sinistrâ verò pedem, & conversus ad Populum per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, descendit è gradibus Altaris, atque sub Baldachîno procêdit deferens prædictum Ostensorium manibus aliquantulùm à pectore remôtis, & ad oculos usque elevatis, quos in sacram Hostiam defixos semper tenet eâ reverentiâ, & cultu, qui tam admirabili Sacramento debêtur, in quo Christus Dominus Salvator noster memoriam fecit mirabilium suorum.

Si autem adsit, qui diaconali munere fungatur, ipse, non verò Celebrans, expônit Sanctissimum Sacramentum, dictôque ℣. DOMINUS VOBISCUM per eundem Cele-

Celebrantem, qui deinde ſtatim genuflectit, & accipit velum humerale, Diaconus aſcendit ad Altare, genuflectit, accipit Oſtenſorium, ſeque ad eam partem convertens, quæ reſpicit cornu Evangelii, deſcendit ab Altari, ſi plures ſint gradus, & ſtans ipſummet Oſtenſorium Celebranti genuflexo offert, qui ſtatim ſurgit, & procêdit ſub Baldachîno, ut ſupra.

Dum prædicta peraguntur, dirigitur Proceſſio, quæ ſi habeatur in Diœcêſi, antecêdunt Scholæ Doctrînæ Chriſtianæ; tum Sodalitates, ſeu Confratrîæ, quæ Diſciplinatorum nomine vocantur, Crucibus cum Chriſti Domini in iis affixi imaginibus de more prælatis; deinde Clerus, cui pariter Crux proceſſionalis, duôbus luminibus ad eandem adhibitis, præfertur, minoribus ſemper progredientibus. Clerum proximè ſubſequitur Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, qui ipſi Miſſæ Sacrum peragenti inſervîre debêbunt. Præfatis autem Miniſtris deficientibus, hujuſmodi munus obeant duo eccleſiaſtici Ordinis viri mundis ſuperpelliceis amicti, qui medium tenentes Celebrantem anteriôres fimbrias Pluvialis elevent ſub Baldachîno à Nobilioribus, aut à Confratribus, vel ab aliis juxta laudabilem locorum conſuetudinem delato.

Ad latera Baldachîni incêdunt, qui Cereos, ſeu Funalia accenſa geſtant, quæ ad minimum quatuor eſſe debêbunt; hæcque præter candelas, quas Clerus, & Populus, laicorumque hominum Sodalitates, & ceteri Sanctiſsimum Sacramentum piè comitantes præ manibus habent.

Præeunt Celebranti duo Clerici, quorum alter à dextris naviculam cum thure, alter verò à ſiniſtris thuribulum fumigans defert, quod continuò, & tractim movet, quaſi ſternens viam Sanctiſs. Sacramento cum odôre incenſi.

Viri illuſtres, & in dignitate conſtitûti, ſiqui ſint, poſt Baldachinum procêdunt, eâ tamen ſervatâ ratiône, ut qui

ecclesiastico ordini sunt adscripti laicis præeant.

Ultimo tandem loco omni piæ, religiosæque venerationis studio fœminæ incêdunt.

Omnes tam mares, quàm mulieres, si fieri poterit, candelas accensas deferunt, omnesque pariter Psalmos, & Hymnos graviter, & distinctè concinunt sacræ huic actiôni, mysteriôve convenientes. At Clerus, ut supra dictum est, canit Hymnum PANGE LINGUA, seu VERBUM SUPERNUM, prout via longior, vel brevior fuerit, quæ tamen circuitum Ecclesiæ, & Cœmeterii excedere non debet: in hoc tamen servêtur pia, & inveterata locorum consuetûdo.

Norint præterea quicunque ad ejusmodi Processiônes conveniunt, sive Clerici illi sint, sive laici, externum, & internum quoque religiosæ pietatis officium in ipsis requiri; ideôque non solùm capite aperto, vultu demisso, humili corporis habitu, colloquiisque exclûsis, gravitatem, & modestiam, præ se ferant, verum etiam piâ, devôtâ, ac supplici mente Sacratissimum Domini Corpus prosequantur.

Postquam Processio ad Ecclesiam redierit, Celebrans collocat Sanctissimum Sacramentum super Throno in medio Altaris erecto, deinde præmissâ genuflexiône, descendit in planum Chori, ubi denuo genuflectit, & stans, deposito velo humerali, canit ℣. DOMINUS VOBISCUM, & Oratiônem de Sanctissimo Sacramento, aliasve etiam, prout vel Superiôris mandatum, vel temporum, calamitatumve circumstantiæ requîrunt, eâ tamen lege, ut omnes sub unica conclusiône canantur. Orationibus absolûtis, dicto ℣. DOMINUS VOBISCUM, respondente Clero ET CUM SPIRITU TUO cum ter KYRIE, Celebrans conclûdit cum ℣. BENEDICAMUS DOMINO, mox genibus flexis thurificatiônem Sacramento adhibet.

Quòd si sacræ huic actiôni inserviat Diaconus paratus, postquam Celebrans Ostensorium super corporali in medio

dio

dio Altaris explicato deposuerit, ipsemet Diaconus super Throno reverenter expônit.

His ita peractis, surgit Celebrans, & factâ genuflexiône, retrahit se versùs cornu Epistolæ, ubi facie ad idem cornu conversâ, Stolâ, & Pluviali depositis, sumptisque paramentis missalibus, redit ad medium Altaris, ibique factâ unà cum Ministris genuflexiône, Missam inchoat, quæ erit de Dominica, vel de Solemnitate Domini in Dominicam incidente, additâ insuper commemoratiône Sanctissimi Sacramenti.

Paulò ante, quàm Sacerdos Sacram Hostiam, & Calicem in Missa elevet, lumina in Chorum deferuntur, quæ aliò non reportantur, nisi Sanctissimo Sacramento recondito, & clauso Tabernaculo.

Porro in hujusmodi Missis, quæ coram venerabili Eucharistia in Altari palam expositâ solemni ritu celebrantur, plura diligenti animadversiône digna occurrunt, atque hæc potissimùm.

Primò omittuntur benedictiônes incensi, quoties in thuribulum immittitur.

Secundò caveat Celebrans, quum thurificatur, vel manus lavat, ac demum in ceteris actionibus in decursu Missæ occurrentibus, ne omnìno terga vertat Sanctissimæ Eucharistiæ. Id autem facilè præstabit, si præcipuè quum incensatur, manusve abluit, versùs extremitatem suppedanei, seu bradellæ se retrahat facie aliquantulùm ad cornu Epistolæ conversâ.

Tertiò in hujusmodi Missis pluries, quàm in ceteris, genuflectendum est, ideòque tum rubricæ Missalis, ubi de celebratiône Missæ coram Sanctissimo Sacramento exposito §. 26., tum Libellus, qui inscribitur: ***Instruzioni ai Sacerdoti per celebrare la Santa Messa secondo il rito Ambrosiano*** accuratè consulantur.

Denique quando Celebrans cum Ministris ad rubricarum

præscriptum sedet in Presbyterio, ipse solus caput birrêto tegit, quod tamen in dicto Presbyterio tantùm accipit, ibîdemque illud depônit.

Dicto PLACEAT in fine Missæ, Celebrans depônit Ostensorium è Throno super Altare, ubi non adsit Diaconus, ac deinde, sumpto velo humerali, frequenti Populo benedictiônem cum Sanctissima Eucharistia elargîtur, mox Ostensorium repônit, omnibus cæremoniis, ac ritibus diligenter servatis, quæ in præcedenti Instructiône fusiùs describuntur, hoc solùm excepto, quòd ultima thurificatio adhibêtur à Celebrante genuflexo in superiôri gradu, & interim loco Psall. O SACRUM CONVIVIUM, canitur versic. TANTUM ERGO, vel O SALUTARIS &c.

Celebrans, clauso Tabernaculo, genuflectit, & accêdit ad cornu Evangelii, ubi dicto. ℣. DOMINUS VOBISCUM, legit Evangelium Sancti Joannis.

Quòd si repositio fiat per Diaconum, hic pariter, Ostiolo Tabernaculi firmiter obserato, genuflectit, seque retrahit ad latus Evangelii: interim Celebrans surgit, & ad idem latus accêdit, ubi cum Diacono à sinistris stante legit Evangelium, ut supra, quo finîto, & factâ genuflexióne in plano Chori, omnes recêdunt in Sacristîam. Interea reliquum divinarum horarum Officium manè recitandum in Choro persolvitur.

Atque hìc est advertendum Sacerdotem amictum Superpelliceo, & Stolâ colôris, qui Officio diêi, adeôque sacris Vestibus Celebrantis correspondeat, posse Ostensorium è Tabernaculo depromere, tradere Celebranti, super Throno collocare, ab eôdem Throno demittere, intra Tabernaculum recondere, & tandem prædicti Tabernaculi Ostiolum claudere.

Quamvis autem Ecclesiarum Rectôres summo studio curare debeant, ut vetus illa consuetûdo hujus sanctæ Mediola-

diolanensis Ecclesiæ decrêtis sæpius inculcata, obeundi scilicet Processiônes cum Sanctissimo Sacramento tertio cujuslibet mensis Dominico die ante Missam Conventualem, omnino retineatur, aut ubi intermissa est, planè restituatur, tamen cum aliquibus in Ecclesiis, Archiepiscopi permissu accedente, hujusmodi functio sanctitatis, & religiônis plena post Missam peragi soleat, ideo, si tum fiat, certa hìc sacrarum cæremoniarum ratio statuitur.

Celebrans, Missâ absolûtâ, depositis Casulâ, Stolâ, & Manipulo in cornu Epistolæ, vel post Altare, seu etiam in Sacristìa, induit Stolam, & Pluviale rubrum, non autem colôris, quem Officium diêi requîrit; rubræ pariter sint sacræ vestes Ministrorum, Diaconi scilicet, & Subdiaconi, quatenus adsint, easque non in cornu Epistolæ, sed post Altare, vel in Sacristia sumere debent. In reliquis verò serventur ea omnia, quæ inferiùs præscribentur paragrapho: *Exposito Sanctissimo Sacramento*. In hac autem Missa omittitur commemoratio Sanctissimi Sacramenti, cum non celebrêtur coram eôdem Sanctissimo Sacramento palam, & apertè exposito.

Si quando præterea pluviæ vis, aut alia temporis injuria impediat, quò minùs Processio extra ambitum Ecclesiæ manè habeatur, ipsa verò Ecclesia adeò angusta sit, ut citra tumultum, atque inordinatiônem interiùs circuîri nequeat, tunc servatis ritibus mox assignatis de Processiône post Missam obeunda, licêbit post Vesperas ejusdem diêi Sanctissimam Eucharistiam exponere, eamque Processiône circumferre, ut in simili statuitur, Decreto 7. Concilii Provincialis 2. tit. 2.

Quòd si eadem cæli intemperies etiam pomeridianis horis persevêret, tunc exponatur Sanctissimum Sacramentum statis cæremoniis, ac precibus in prima Instructiône descriptis.

Ordo superiùs præscriptus in Processionibus ante Missam Conven-

Conventualem peragendis tertio Dominico die cujusvis mensis, servêtur etiam in Processionibus, quæ in Celebritate Corporis Domini, vel reliquis sequentibus septem diêbus in Ecclesiis Præposituralibus, vel aliis insignioribus locis obiri solent, dummodo eæ manè ante eandem Missam habeantur, ut sancitur in Conc. Prov. 2., & in Synod. 11. Hujusmodi autem Processionibus quemadmodum numerosior tum Clerus, tum etiam Populus interesse debet, ita major quoq; Cereorum, seu Funalium quantitas est adhibenda. Illæ tamen ne fiant, nisi quibus Ecclesiis Archiepiscopus concesserit, iis omnibus conditionibus accuratissimè servatis, quæ in facultate solent appôni.

Si verò Archiepiscopus permittat, ut ejusmodi Processiônes in Vesperis habeantur, hæc, ut infra, erunt servanda.

Exposito Sanctissimo Sacramento in Altari, eôque thurificato, Sacerdos Officium faciens, dicto ℣. DOMINUS VOBISCUM, accipit Ostensorium, & procêdit sub Baldachino, ut supra, canente Clero, & Populo Hymnos, precesve ad præscriptum. Processiône ad Ecclesiam reversâ, Sacerdos canit Orationem, seu etiam plures, ut alibi dictum est, deinde conclûdit cum ℣. DOMINUS VOBISCUM, & ter KYRIE, & BENEDICAMUS DOMINO. Die verò octavâ conclûdit cum BENEDICAT, & PROCEDAMUS.

His rite explêtis, inchoatur versic. TANTUM ERGO: interea Sacerdos thurificatiònem adhibet, mox ascendit ad Altare, & benedicit Populo cum Sanctissimo Sacramento, quod deinde juxta normam jam traditam intra Tabernaculum recondit.

Quoniam in Processionibus, quæ, obtentâ ab Archiepiscopo facultate, peragi solent in Festo Corporis Christi, vel aliquâ die infra Octavam, propter earundem longiôrem circuitum, viget non improbanda consuetûdo aliquam Ecclesiam, seu Oratorium ingrediendi, ibique

super

ſuper Altare egregiè ornatum ad modicum temporis ſpatium Oſtenſorium collocandi; vel etiam ad Menſas aliquantulùm conſiſtendi, quæ in modum Altarium decentiſſimè cum luminibus, & pretiôſis paramentis, ac mappâ mundâ conteċtæ, per vias eriguntur, atque inibi pariter Sanctiſſimum Sacramentum reponendi, idcirco traduntur hìc cæremoniæ in ejuſmodi ſtationibus ſervandæ.

Celebrans poſtquam Sanctiſſimam Euchariſtiam in medio Altaris, ſeu Menſæ ſuper corporali explicato collocaverit, depoſito velo humerali, illam genuflexus incenſat, canente interim Clero TANTUM ERGO, quo explêto, Celebrans ſtans dicit DOMINUS VOBISCUM, & ſubjungit Oratiônem de Sanctiſſimo Sacramento: DEUS QUI NOBIS, deinde dicto ℣. DOMINUS VOBISCUM, reſpondente Clero ET CUM SPIRITU TUO, omiſſis KYRIE, & BENEDICAMUS DOMINO, iterum genuflexus thurificatiônem adhibet, canente Clero O SACRUM CONVIVIUM: mox ſumpto velo humerali, accepto Tabernaculo geſtatorio, redit ſub Baldachinum, & procêdit, ut priùs. Quòd ſi adſit Diaconus paratus, hic offert Oſtenſorium Celebranti genuflexo. Curandum tamen, ut Proceſſio ſemel tantùm, aut iterum conſiſtat.

Cum Oratio, quam vocant quadraginta horarum, in conſpectu Sanctiſſimi Sacramenti palam in Altari propoſiti inchoanda eſt, Expoſitio, & Proceſſio, quæ ex Conc. Prov. 4. hujus Oratiônis initio, & rurſus in ejuſdem fine eſt obeunda, fiant juxta regulas & in hac, & in præcedenti Inſtructiône jam demonſtratas.

Proceſſiône autem, quæ initio hujus Oratiônis habêtur, eò, unde diſceſſit, reverſâ, Tabernaculum geſtatorium cum Hoſtia ſalutari ſuper Throno reponitur, & ſtatim thurificatur: canuntur deinde Litaniæ Sanctorum, quibus

bus finitis, Celebrans surgit, & dicto. ℣. DOMINUS VOBISCUM, canit Orationem de Sanctissimo Sacramento, alias etiam addendo, ut supra; denique concluditur cum ℣. DOMINUS VOBISCUM, ter KYRIE, & BENEDICAMUS DOMINO, iterumque adhibêtur thurificatio. Tandem quò religiosiùs omnis Clerus, Populusque ad publicæ precatiônis studium excitêtur, sermo habeatur à perito Sacerdote, qui orantes vehementiùs accendat, atque inflammet.

Ecclesiarum Rectôres, in quibus hujusmodi Orationis Celebritas instituitur, præter cetera, hæc potissimùm curent, atque prospiciant.

Ut, fenestris telâ obductis, Ecclesia subobscura reddatur, ne fideles, qui ad orandum conveniunt, illustriôri luce distracti mente evagentur, sed potiùs se se colligentes, ac devotiônis studio accensi orent spiritu, orent pariter & mente in conspectu Domini, à quo uberrimum hujus debitæ pietatis fructum consequentur.

Ut in Altari conveniens candelarum numerus decenti longitudine, & crassitudine colluceat.

Ut Ecclesia, quantum per facultates licet, splendidiôri pompâ exornata, atque instructa appareat; nihil verò profani in ulla parietum parte affigatur.

Ut ad Altare, ubi proposito Sanctissimo Sacramento Oratio fit, unus saltem ecclesiastici Ordinis vir superpelliceo indûtus capite aperto, flexisque genibus semper assistat.

Caveant denique, ne hujus Oratiônis tempore eleemosyna, pelviculâ, aut vasculo exposito, ullòve alio modo quæritêtur.

Exacto quadraginta horarum spatio, Sanctissimum Sacramentum hoc ordine reponitur. Celebrans Stolâ, & Pluviali rubri colôris indûtus, prævià Cruce, ut supra, accêdit ad Altare, ubi factâ brevi oratiône, surgit, & incenso

censo in thuribulo sine benedictiône imposito, genuflexus Sanctissimum Sacramentum thurificat, deinde canuntur Litaniæ Sanctorum, quibus finîtis, Celebrans surgit, & dicto ℣. DOMINUS VOBISCUM, canit consuêtam Orationem, seu etiam plures, ut alibi dictum est, ac tandem conclûdit cum ℣. DOMINUS VOBISCUM, ter KYRIE, BENEDICAT &c., PROCEDAMUS &c., BENEDICAMUS DOMINO.

His omnibus rite gestis, Celebrans genuflectit, & adhibitâ iterum thurificatiône, inchoatur Processio, in qua Sanctissimum Sacramentum pio, ac religiôso cultu defertur juxta regulas superiùs expositas.

In reditu Processiônis Celebrans rectè ascendit super bradellam, seu suppedamentum Altaris, ibîque statim ad Populum conversus, ei solemnem benedictiônem cum Sanctissimo Sacramento impertîtur, quod deinde intra Tabernaculum recondit, omnibus cæremoniis diligenter servatis, quæ in præcedentibus Instructionibus satis describuntur.

Comitantes hujusmodi Processiônes, in quibus Sanctissimum Sacramentum circumfertur, si contingat, ut transeant ante Altare, in quo vel asservêtur Christi Domini Corpus, vel Sacerdos Sacrum faciens illud sustollat, nullatenus consistant, aut genuflectant, ne Processiônis ordo interrumpatur, sed unusquisque, nullâ ne minimâ quidem interpositâ morâ, rectâ procêdat.

In deferenda ad ægrôtos Sanctissima Eucharistia servent Parochi rubricas eâ de re in hoc rituali libro suo loco præscriptas.

F I N I S.



Nella Congregazione tenutasi il giorno 6. di Ottobre dell' Anno 1736. si è tassato il prezzo del presente Rituale sciolto in lire quattro Imperiali, senza gli Officj funebri.